


05

A

273



CONSENSUS ORTHODOXORUM ORTHODOXUS, in Loco de CHRISTO,

SOLENNI DISPUTATIONE INAUGURALI,
pro LICENTIA

Summos in Theologiâ Honores conseqvendi,
PRÆSIDE

CASPARE LOESCHERO,
S S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Consist.
Elect. Assess. Ecclef. Witteb. Pastore,
& Superint. Generali,

IN ALMA LEUCOREA,
D. XXIII. Julij, Anno M DC XCIV.

Horis Ante- & Pomeridianis,
IN AUDITORIO MAJORI,
propositus

à
M. HIERONYMO Dathe / Hamb. Sax.
SS. Theol. Cand. hactenus Fac. Phil. Adjuncto, nunc Eccle-
siæ Kembergensis Pastore & Præposito designato.

VITENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

CONCORDIA
PER EXCELSIORUM
EXCELSIORUM
OTIA CHI
CONCORDIA
OTIA CHI



05 A 273

MILLENIUM
JULY 2000
CHARTERED
SOCIETY
OF THE
LIBRARIES
AND
INSTITUTIONS
OF THE
UNIVERSITY
OF HALLÉ

MILLENIUM, JULY 2000, CHARTERED SOCIETY OF THE LIBRARIES AND INSTITUTIONS OF THE UNIVERSITY OF HALLÉ

Q. D. B. V.

Orthodoxus Orthodoxorum Consensus.

Περὶ θεστις.

§. I.

DUlchre & eleganter Paulus Ephe-sios ad concordiam in verâ fide in-citans, scribit : c. IV, i. 2. 3. *Precor-vos ego captivus in Dominô, ut ambule-tis ita, ut dignum est vocatiōne, qua vo-cati estis. Cum omni modestia ac man-suetudine, cum animi lenitate, toleran-tes alii alios per charitatem.* STUDENTES SERVA-RE UNITATEM SPIRITUS PER VINCULUM PACIS. Addit rationes ad persuadendum, imò ad convincendum, idoneas : v. 4. *Unum, inquit, est cor-pus, & unus Spiritus, sicut & vocati estis in unam spem voca-tionis vestre.* v. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* v. 6. *Unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus vobis.* Sacer hic UNITATIS SE-PTENARIUS movere debebat Ephesios, ut, quic-quid ad unitatem fidei, cordis & oris requirebatur, studiosè observarent, & exercent, ne Diabolus, o-mnis vitiosæ discordiæ autor, eam, quam Deus amat & postulat concordiam turbare, aut prorsus evertere satageret, spirituiq; unitatis & concordiæ lites move-ret, & opus Dei sanctissimum in Ecclesiâ irritum, De-umq; hominibus infensum redderet.

A

§. 2. Spi-

2 CONSENSUS ORTHODOXUS.

§.2. Spiritus enim Sanctus omnis veræ Concordiæ Amator, Autor, Promotor, & Defensor est. Unde quando Eum primi Christiani audiebant & sequebantur, fiebat, *ut omnes concorditer in eodem loco viverent*. Act. II, 1. Et multitudinis eorum, qui crediderunt, *erat cor & anima una*. Cap. IV, 32. Faciebat enim Spiritus ille Pacis & Concordiæ, *ut perdurarent concorditer in oratione & deprecatione*. c. I, 14. concorditer in templō; c. II, 46. *ut concorditer tollerent vocem ad Deum*. cap. IV, 24. *ut concorditer omnes in porticu Salomonis viverent*. Cap. V, 12. *ut concorditer attenderent ea, quæ à Philippo dicebantur*. Cap. VIII, 6. *ut convocati concorditer, quid credendum faciendumque sit, decernerent*. Cap. XV, 35. *ut concorditer, & uno ORE glorificarent Deum, ac Patrem Domini nostri Jesu Christi*. Rom. XV, 6. *Hec enim omnia efficit UNUS ILLE & IDEM SPIRITUS*. 1. Cor. XII, ii. *Et fructus ejusdem UNIUS Spiritus est charitas, gaudium, Pax, lenitas, &c.* Gal. V, 22. *Est namque Autor pacis*, Phil. IV, 9. Pax hujus Dei imperat in cordibus Colossemum, *ad quam & vocati erant in unum corpus*. Col. III, 15.

§.3. Eodem respexit pia Antiquitas. Unde non sine emphasi S. Ignatius ad Philadelphienses Tom. I. Bibl. Patr. Col. 19. Epist. IX. docet: *Obsecro vos, ut unâ fide, NB. unâ predicatione, unâ Eucharistiâ utamini. Una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, & unus idius Sanguis, qui pro nobis effusus est, & unus calix, qui pro omnibus nobis distributus est,* (De unitate hujus calicis consule Job. Doughtey de Calicibus Eucharisticis cap. XIII, p. 153. & 154. ubi ex Ignatii hujus Epistolis ad Ephes. & Philadelphiens. nec non ex Dionysii Areopagitæ Hierarh. Eccl. Cap. III, & XII. uti etiam ex Job. Dakkò notatu quædam

dam digna attulit, & adde iis, quæ de eâdem re habet
Cardinalis Vigerius in Decachordô VII. cap. 28. pag. 198.)
unus panis, qui omnibus fractus est, unum altare omni Ecclesie, & unus Episcopus, cum Presbyterorum Collegio, & Diaconis conservis meis. Quandoquidem & unus est ingenitus Deus & Pater, & unus unigenitus filius, Deus, verbum & homo, unus Paracletus, Spiritus Veritatis, & NB. una prædicatio, & fides una, & unum baptisma, & una Ecclesia, quam suis sudoribus & laboribus fundarunt Sancti Apostoli à finibus terra usq; ad fines in sanguine Christi. Et vos itaq; oportet, ut populum pecularem, & gentem Sanctam, omnia perficere concordibus animis in Christo. Similiter in Epist. XI. ad Polycarpum scribit: *Unitatis curam habe, quia nil melius.* Et in Epist. XIV. ad Ephesios: Concordia & consensus fidei Christianorum exitium Satanae, & Satellium ejus supplicium est.

§. 4. Nec abludit Hieronymus, quando Tom. IX. Oper. Lib. II. in cap. XII. Matth. dicit: *Non potest Regnum & Civitas contraria divisa persistare.* Sed quomodo concordia parvae res crescunt, ita discordia maxime dilabuntur. Et Augustinus Tom. V. opp. Lib. II. de civit. Dei cap. 21. *Quæ harmonia à Musicis dicitur in canu, ea est in civitate concordia.* Arctissimum atq; optimum omni in Rep. vinculum incolumentatis, eaq; sine justitia nullò pacto esse potest. Ut & Tom. II. Oper. Epist. V. ad Marcellinum: *Concordia nobile est utilius Civitati.* Scilicet, quæ ab his de Civitate hominum dicta sunt, verissimè etiam de Civitate Dei dici possunt.

§. 5. Pertinet vero ad eandem Concordiam non solum cordis, sed & oris & calami harmonia. Sicut enim una & eadem fides datur, ita unam quoq; & eadem doctrinam de eadem dari par est. Neque facilius

unitati & concordiae noceri poterit, quām si doctrina de eadē, phrases & verba discepantia usurpantur. Cavit ideo divina Providentia, ne Scriptores Sacri, aut diversam à se invicem proferrent doctrinam, aut verbis adeò discepantibus uterentur, ex quibus & doctrinæ discepantia concludi firmiter possit. Quæ enim videntur discepere, ea mirū in modum inter sese consonant, quod dudum à Viris eruditis demonstratum est. Nati enim hinc sunt Augustino Insignes illi quatuor Libri de Consensu Evangelistarum, nunquam fatis laudati. Nec ignoramus Harmonias Evangelistarum aliorum, inter quas merito *Chemnitio-Lyseriano-Gerhardianus* labor tantum eminet, quantum lenta solent inter viburna cupressi. Sicuti nec ignotæ sunt Conciliationes Locorum Scripturaræ, Harmoniæ Biblicæ, Luces in tenebris, hujusq; generis alia scripta, quæ singula eum in finem adornata sunt, ut docerent, Scriptores sacros sibi nunquam, aut nusquam contradixisse.

§. 6. Quod verò Scribæ ~~hōmōnō~~, fecerunt, id jure merito, imparibus quanquam vestigiis eos secuti, Scriptores orthodoxi præstare fategerunt. Unam enim fidem, unamq; ejus doctrinam docentes & propagantes, unō etiā & concordi Spiritu & consensu exprimere eā allaborarūt. Nec est, quod Adversarii nobis hāc in re quipiam objiciant, quippe quibus incumbit, ut, quas nos discordias domesticas iis imputavimus, prius cœū trabes ingentes tollant, quām nobis festucā, vel minimā, ex oculis eripere tentent. Quin imò quicquid ē nostris objici potest, id speciem duntaxat Contradicitionis, re autem ipsa nullam omnino veram contradictionem habet. Illud verò ut appareat, negotiū hoc suscepimus,

pimus, quô per certa exempla demonstraretur, orthodoxos sibi non contradixisse. Scribimus verò hæc non docentibus, quippe qui ante nos ea exactè noverunt, sed disentibus, ne confundantur aut turbentur, & ut habeant, quod Adversariis reponant. Selegimus autem hâc vice ea tantùm, quæ ad *Articulum de Christo* pertinent, nec omnia, sed pauca solum, certas ob rationes. Et ut res eô clarior reddatur, distribuemus eam in certa exempla, & in quolibet exemplo sistemus 1. *Antiheret.* 2. *Exheret.* & 3. *Syriheret.* Faxit Deus, ut omnia feliciter fiant, per JESUM Salvatorem nostrum!

§. 7. EXEMPLUM I.

Antiheret.

Negat. **Vox** ὑπόστασις nullibi in Scripturâ eô sensu reperitur, quô in Scholis de Personâ aut Christi, aut Patris aut Spiritus Sancti usurpari consuevit...

Affirmat. **Vox** ὑπόστασις omnino in Scripturâ Sacrâ eodem sensu adhibita reperitur, quô eandem Theologi in Scholis hactenus usurparunt.

Vel: Christus est Imago Patris ratione essentiæ. Christus non est Imago Patris ratione essentiæ.

A 3

"Exher-

ἘΝΤΕΟΙΣ.

§. 8. Scripsit non solum olim *Basilius* in Epist. 43. vocabula duo, ἡσία & τριάντας, non esse ex phraſi Scripturæ, eō nimis sensu, quō tunc in Schola & Ecclesia usurpabantur, sed ex communi consuetudine loquendi & ſcribendi deſumta; ſed & *Hieronymus* peculiariter de voce τριάντας ſenſit, eandem novellam eſſe, & ſub eā veneni quippiam latitare, aſſeruit. Locus Hieronymi habetur Tom. II. Opp. Epift. LVII. ad Damafum: Fol. 90. F. G. H. Nunc prob dolor! hæc ſcribit Hieronymus, poſt Nicenam fidem, poſt Alexandrinum, junctō pariter Occidente, decretum, trium hypostafeon ab Arianorum Praefule & Campenſibus, NB. novellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui queso iſta Apostoli prodidere? Quis novus Magiſter gentium, Paulus, hæc docuit? Interrogemus, quid tres hypoftaſes poſſe arbitrentur intelligi. Tres Personas ſubſiſtentes ajuſt. Respondemus, nos ita credere. Non ſufficit ſenſus, iſum nomen eflagitant, quia NB. nescio quid veneni in Syllabis latet. Clamamus, ſi quis tres hypoftaſes, aut tria enypofata, hoc eſt, tres ſubſiſtentes Personas non conſiſtetur, anathema ſit. Et quia vocabula non edifcimus, heretici judicamur. Si quis autem hypoftaſin uſian intelligens, non in tribus Personis unam Hypoftaſin dicit, alienus à Chriſto eſt: Et ſub hac confeſſione vobis cum pariter cauterio unionis inuirmur. Diſcernite, ſi placet, obſecro! non timebo tres hypoftaſes dicere; ſi jubetis, condatur noua poſt Nicenam fides: & ſimilibus verbiſ, cum Arianis conſteamur Orthodoxi. Tota ſecularium literarum Schola nihil aliud hypoftaſin, niſi uſiam novit. Et quis, rogo, ore ſacrilego tres ſubſtantias predicabit? Una eſt Dei & ſola natura, que vere eſt. Id enim, quod ſubſtit, non habet aliunde, ſed ſum eſt. &c.

§. 9. Quis

§. 9. Quis non videt, Hieronymo hic aquam hæsisse, eumq[ue] non solum statuisse, vocem ~~υντοτεως~~ falacem, sed & talem esse, cuius sensus ex Scriptura hauriri & demonstrari non possit? Id certe singula p[ro]n[e] verba ejus docent. Vide ad locum hunc non solum eruditissima Scholia Desiderii Erasmi, quæ Tomō citatō f. 91. G. & H. habentur; sed & adde, quæ Tom. X, f. 68. F. G. H. Scholia Mariani Victorii Reatini non negligenda inveniuntur. Excerpemus quædam: *Magna fuit olim, ita differit Victorius, apud Veteres concertatio, quidnam significaret* ~~ενσυνιειν~~, alius pro essentiā, alius pro subsistentiā illam interpretantibus. D. Basilius de utriusq[ue] differentiā Epistolam maximā eruditione plenam, ad Gregorium Nyssenum, fratrem, eā de causa scripsit. Docet autem in eā multis, ~~ενται~~ essentiā, seu substantiam in genere, ~~ενται~~ vero Substantiam in Subjectō aliquod, seu potius Subsistētiā significare, ita ut ~~ενται~~ pro naturā, hypostasis pro personā accipiatur: Et ita non esse erroneum, tres hypostases confiteri: quam Confessionem à Damaso, uti Catholicam suscepitam esse, Flavianus apud Nicephorum assertit. Abhoruisse ab hypostasis voce diu olim Latinos, quemadmodum hic abhorrebat Hieronymus, similiter Gracos à Personā vocabulō, testis est Gregorius Nazianzenus; qui tantum dissidium à D. Athanasiō primum scribit compositum, dum utriusq[ue] lingue homines docuit, idem esse penes Gracos hypostasis, quod penes Latinos Personam. Et ita communica-ta vocabula sunt, Et tām Personā Vox à Gracis suscepta, quam à Latinis hypostasis. Quæ nos alias in Dissertatione de Voce Personæ hāc de re attulimus, videantur ibidem.

§. 10. Certum autem ex his est, nec Basilium, nec Hieronymum statuisse, ~~υντοτεως~~ vocem in Novō Testamento idem significare, quod hodiè in Scholis Theo-

Theologorum denotat. Et in eâdem sententiâ hæsit quoque *Martinus Chemnitius*, cuius mens ut rectius intelligatur, verba ejus dabimus. Ita autem ille Part. I. Locor. f. m. 36. b. *Rectius ergo & simplicius Basilius in Epist. 34. disertè dicit : Hec duo vocabula (σοια & τοιων)* non esse ex phraſi Scripturæ, sed ex communi confuetudine loquendi sumta. Idem habent *Cyrillus Lib. 1. Dial. de Trinit.* & *Socrates Tripart. Histor. Lib. VI. Cap. 21. & Damascenus Lib. 3. de fide Catholicâ.* Et hac sententia vera est. Nam vocabulum τοιων extat quidem *Hebr. 1. 3.* Sed NB. aliter usurpatur, quam nunc Ecclesiâ eâ utitur. *Quando enim Autor Epistola ad Ebraeos dicit : Filius est χριστὸς τῆς ιαντικῆς Πατρὸς :* non hoc vult, quod Pater Personam filio communicaverit, sicut nunc intelligimus vocabulum τοιων; sed quod nunc in Ecclesiâ usitate σοια vocamus, ibi τοιων appellatur. Sit ergo primò hoc certum, hac duo vocabula non esse propria & peculiaria Scripturæ; sed ex ex communi loquentium usu sumta. Hæc & alia Chemnitius, ex quibus patet, negasse eum, vocem τοιων eam in Scriptura significationem sustinere, quam communiter in Scholis & anteâ habuerit, & hodie adhuc habeat. Ejusdem sententiae est etiam *Balth. Menzer. Tom. III. Disp. Giff. Disp. IV. th. 58.* Plura vide ap. B. *Calovium in Examine librorum Crellii p. 1202. seqq.*

§. II. Sed tamen in Ecclesiis nostris non desunt, qui contrarium docuere. In medium nunc producam non omnes, sed quosdam duntaxat. *Matthias Hafenerius Lib. I. LL. Theol. in Locô de Deô, non obscurè prioribus contradicit.* Ita enim is p. 49. *Vox τοιων, non ab hominibus conficta, sed in ipsis etiam Scripturis usurpata est. Hebr. 1. 3.* Loquitur vero de eâdem voce in ea

éâ significatione acceptâ, quam in Scholis Theologis sustinet, dequé eâdem dicit, quod non ab hominibus, Græcis nimirum Philosophis, qui ante Paulum scripsierunt & docuerunt, sed ab ipsis Scripturis in eâdem significatione usurpata sit. Id eò clarius evadit, si confertur cum iis, quæ de eâdem voce Lib. III. in Locô de Christô p. 262. tradidit. Ibi enim diserte θεοτητων της στα opponit, & tam in generalissimâ, quam speciali & specialissimâ significatione id demonstrat.

§. 12. Multo clarius & apertius autem de hâc relatus est *Albertus Grauerus*, accuratissimus Theologus & Philosophus, in Quæstionibus Illustribus Theologicis, Disp. III. Quæst. 3. p. 120. cujus verba, cum multum lucis huic materiæ afferant, recitabimus. Ita autem ille: *Non urgebo hâc vice Vocabulum θεοτητων*, prout 2. Cor. I. II. usurpatur de hominibus, quo à Comicis actionibus originem trahere videtur; sed duntaxat Græcum illud θεοτητων, quod Ebr. I. 3. Personam Patris significare, certum est, ut post Basiliū in Epist. 43. multi orthodoxi recentiores Theologi observarunt, siquidem filius rectè dicitur *imago NB. Persona Patris*: *Illiū enim est Imago, cuius est Filius*. Siquidem *Imago* formaliter accepta, (materialiter & fundamentaliter considerata, *imago* nec est, nec dicitur: ideoque non est in Prædicamento absolutò; sed de se Relationem importat: nec Absoluta cum Relatis confundi debent) distinguitur ab *Exemplari*, ut res producta à producente. *Imago* autem *Personæ Patris* dicitur, non, quod habeat *Personam Patris* sibi communicatam, hâc ratione enim non esset character *Personæ Patris*, cùm aliud sit *Persona*, aliud *Character Persona*; sed quia filius eandem essentiam habet in suâ *Personâ*, quam Pater in suâ *Personâ* habet, atq. sic *Personam Patris*, quoad essentiam, representat. Si vero per essentiam,

vocabulum ἔνοσος εἰς ibi reddatur, ut filius dicatur *Imago essentiae Patris*, dum *Essentia Patris* erit *Exemplum Imagini respondens*: in quō igitur ibi consistet similitudo *Exemplaris & Imaginis?* nam *Imago & Exemplum*, quā talia, relative opponuntur, in tertio autem quodam conveniunt. Rectissime igitur per Personam redditur, atq; sic vocabulum hoc non est plane ἄλεα Φοι.

§. 13. Ejusdem Sententiæ Jacobus Martini est, qui Librō II. de tribus Elohim Cap. III. p. 19. & seq. Grauerō plane consentit. Ad stipulantur & alii imprimis Sebastianus Schmidius in Commentariō in Ep. ad Ebreos. p. 42. ut & Scherzerus in Collegiō Anti-Socin. edit. ultimae, p. 171. f. Et citavit ad horum partes Gerhardus in Exegeſi Locor. Locō III. n. 53. seqq. præter Basiliū & Gregor. Nyſſenum, Cajetanum in Commentariō ad Ebr. I. 3. Bellarm. lib. II. de Christō Cap. IV. Riberam ad Ebr. I. 3. p. 59. Salmeronem Tom. II. Tract. II. f. 103. Calvinum Lib. I. Instit. cap. 13. sect. I. Zanchium Lib. I. de tribus Elohim cap. 2. Ursinum Part. II. Catech. qu. 25. Hutterum in Locō de Deō. Meifnerum Part. II. Philos. Sobr. p. 417. & Grauerum in Exam. Sophist. p. 20. Ipsa autem Schmidii verba notatu digna sunt. Ita verò p. 43. scribit. : Dicimus h. l. Ebr. I. 3. ἔνοσον non notare Subſſentiam, ut nonnulli tranſtulerunt, nec præcisè eſſentiam, ut reliqui, sed NB. Personam, quæ eſſentiam habet & Subſſentiam, ſive eſſentiam certà Subſſentia, Patris ſcilicet, inſignitam. Hujus Personæ Patris filius eſt Character, b.c. aliud quidem ab illò, ſed non aliud: idem namq; eſt, & non aliud quoad eſſentiam, quam cum Patre unam eandemq; habet; aliud autem, & non idem (masculinè) ratione Personæ, quia aliam habet Personalitatem propriam, ſeu Subſſentiam, quam Pater. Atq; hoc

hoc ipsum est, quod Character: quemadmodum ex charactere
menti impresso, licet hic aliquid imperfectionis habeat; appa-
rere tamen potest. Rem namq; si consideres, quando Petrum
animò concipio, non est verus Petri in animò meo conceptus
Character, nisi unum idemq; cum Petro fuerit. Sed si Perso-
nam consideres, Persona ipsa Petri non est in mea mente, sed
extra eam, per suam, quam habet, Personalitatem. Chara-
cter autem meus, si haberet propriam Subsistētiā, alias sanc
Personā foret, non una cum Petró: licet verò non habeat pro-
priam Subsistētiā, tamen non est Persona Petri, sed in meo,
qui alia Persona sum, intellectū existit. Itaq; ad characterem
non requiritur sola rei & essentiae identitas, quippe per quam
non potest esse alius ab eo, cuius character est; neq; sola Subsistē-
tie diversitas, seu, ut ita dicam, alietas, cum per hanc non sit
idem quid cum eo, cuius est character; sed requiritur & essē-
tie unitas, & Subsistētiā diversitas. Ita manifeste satis
apparet, Schmidium per ~~casum~~ intelligere non Es-
sentiam, sed Personam.

Σύνθετις.

§.14. Ad conciliandas verò Sententias hasce, di-
stinguendum primo est inter Essentiam iudeterminate &
determinate acceptam. Indeterminate sumitur, quan-
do Essentiam tribus Personis absque ullâ determina-
tione communem significat. Dicitur etiam hōc modō
Essentia charactere personali *non characterisata*, aut *in-
signita: determinate* verò accipitur, quando indicat Es-
sentiā certō charactere personali determinatam,
characterisatam & insignitam. Hoc pacto dicitur Es-
sentiā Patris, quatenus determinata ea est ad Per-
sonā Patris, non autem ad Personā aut Filii, aut Spi-
ritus

ritus S. Et similiter Essentia Filii nuncupatur ea Es-sentia, quæ charactere personali & $\lambda\epsilon\gamma\alpha$ determinata est, atque hoc modō, neque Patris, neque Spiritus S. Essentia esse potest. Atque eōdēm sese modo res circa Essentiā in Spiritus Sancti habet. Hāc Distinctio-ne positā, concludimus, eos, qui in Locō Paulino per $\tau\omega\sigma\tau\omega\tau\omega\tau\omega\tau\omega$, sive Essentiam intellectam esse volunt, sumere vocem essentiae in eā significatione, in quā de-terminatam Patris essentiam notat, adeoque char-a-cterem Patris Personalem simul connotat. Atque hoc modō non contradicunt illis, qui per $\tau\omega\sigma\tau\omega\tau\omega\tau\omega$ ne-gant Essentiam in hoc locō intelligi posse. Negant enim hoc, & quidem recte, quando Essentia contradi-stinguitur $\tau\omega\sigma\tau\omega$, & illā non connotatā, vox solam Essentiam exprimit. Significat itaq; h. l. $\tau\omega\sigma\tau\omega$ non Essentiam indeterminatam, quod volunt posteriores, sed Essentiam determinatam, quod postulant priores.

§. 15. Porrò distinguimus secundō inter Personām Abstracṭē & Concreteū usurpatam. Priori modō Personālitatem, sive Subsistētiā in notat: posteriori præter Personalitatem ipsam quoque Essentiam charactere hypostaticō determinatam & Ens Subsistens indicat. Si gnificationem priorem arripiunt illi, qui malunt per $\tau\omega\sigma\tau\omega$ illigere $\tau\omega\sigma\tau\omega$, quam personam: Sola enim Personalitas absque essentia Patris sumta hic rem non conficit. Sed posteriorem sensum eligunt, & priori præferunt, qui non per Essentiam, sed per Vocem Personæ $\tau\omega\sigma\tau\omega$ reddunt. Unde hic denuò nulla datur vera contradictione, quia posterior pars vocem Personæ accipit Concretē, non pro Personalitate solā, sed simul pro Essentia charactere personali Paternō determi-natā;

fiatā; cūm vicē versā prior pars eandem vocem sumat
Abstrakte, pro sola Personalitate Patris, quæ quanquam
 diversa sit à Personalitate Filii, sola tamen characte-
 rem Patris exprimere non potest, quippe ad quem
 constituentium etiam Identitas requiritur, ut rectē
 §. 13. Schmidius observavit.

§. 16. Unde idem Schmidius p. 43. seq. accuratē hunc in
 modū colligit: *Qui statuunt, ἔστων notare essentiam, seu*
substantiam, argumentantur: Id per hypostasin h. l. intelligitur,
juxta quod Filius Patrem representat. At qui non representat
juxta subsistentiam, sed juxta essentiam. Ratio est; quia juxta
Subsistentiam non est idem, sed alius; sed juxta essentiam unum
idemque est. Qui verò per ἔστων intelligunt Subsistentiam,
sub eādem Mājore, hōc modo subsumunt: Id significatur h. l.
per ἔστων, juxta quod Patrem Filius representat: At qui
non representat eum juxta essentiam, sed Subsistentiam. Ratio
est; quia juxta essentiam est unum idemque: nihil autem sui
ipsius potest esse character vel imago. Non contemnenda sunt
haec argumenta, per quae, quemadmodum utraq[ue] ista sententia
destruitur, ita nostrae non tam nocetur, quam emolumendum
accedit. Nos namq[ue] argumentamur: Id per ἔστων intelligi-
tur, juxta quod Filius representat Patrem. At qui non re-
presentat juxta Subsistentiam, quod ratio prior confirmat; nec
secundum essentiam, quod probat altera ratio; sed juxta Per-
sonam Subsistentiā & essentia consistentem, quod nobis relin-
quitur. E. Personā per ἔστων intelligitur. Confirmat-
ur ex nostrō Textu: Cujusmodi est Relatum, ejusmodi est
Correlatum. Atqui Relatum, Character, est Persona, ipse
scil. Filius, sicut dicitur, ὁ. qui est character. E. & Correla-
tum per ἔστων significatum, est Persona, nim. Persona Pa-
tris. Taceo nunc alios concilandi modos, e.g. quando

distinguendum est inter id, quod vox aliqua *immediate*, & quod *mediatè* denotat; nec non inter Personam, & characterem Personæ, quas distinctiones *Gerhardus* affert in *Isagoge* §. 55. Loc. cit. Sufficit enim demonstratum esse, & certam quandam concordiam esse inter apparenter dissentientes Scriptores, & ipsam vocem *εὐαγγέλιον* eandem significationē in Sacrō Codice sustinere, in quā Theologi illam orthodoxi usurpare solent. Plura reperiuntur apud B. *Calovium* T. 2. in A. C. p. 1301. seqq. Sequitur ita,

EXEMPLUM II.

Αὐτίς ιερος.

§. 17. Aff. Filius DEI est Patri ὁμοόσιος.

Neg. Filius DEI non est Patri ὁμοόσιος.

Ἐντίς ιερος.

§. 18. Super voce ὁμοόσιον variè multipliciterq; in Ecclesiâ antiquâ pugnatum est, rejicientibus eam quibusdam penitus, quibusdam contrâ defendantibus, nec non flectentibus eandem nonnullis in heterodoxum prorsus sensum, & aliis è contrariô verum ejus sensum docentibus & conservantibus. Ea omnia si afferenda huc essent, & charta & tempus nos deficeret. Legendus à Studiosis harūdem rerum in primis *Athanasius* est, qui passim eam rem egit, præcipue autem Tom. I. de *Synodō Ariminensi & Seleuciensi*, ut & in *Orat. IV.* contra Arianos, & in *Libro de Decretis Synodi Nicene*. Cui adjungi possunt: *Ambrosius* Lib. 3. de *Fide* c. 7. *Hilarius* in Lib. de *Synodis*. *Socrates H. E.* Lib. I. cap. V. *Sozomen H. E.* Lib. III. cap. XIII. 5. *Theodoreetus H. E.* Lib. I.

Lib. I. cap. XII. Et quæ ex his & aliis excerpterunt.
 Nostrates, præsertim *Lutherus* Tom. VII. Jen.. Germ.
 f. 243. Tom. VII. Altenb. f. 261. *Chemnitius* Tom. I.
 Locor. f. 109. seqq. *Gerhardus* in Exegeſi Loc. de Trin.
 num. 50. seqq. & *Calovius* noster Lib. I. Theol. natur.
 & revel. p. 52. seqq.

§. 19. Id certum est, eos, qui Arimini congregati
 erant, Arianisque partibus nimium favebant, vocem
 hanc respūsse. Servata nobis eorum sententia ab A-
 thanasiō est, Tom. I. f. 875. ubi τὸν λέγον ἵμοντα tantum
 Patri confitentur. Conservavit quoque ea, quæ à mi-
 nus orthodoxe sentientibus *Selentie* in Isauria prodita
 sunt, f. 904. Recitabimus ea ex Interpretatione *Petri*
Nannii. Non refugimus, inquiunt, authenticam in Encœ-
 niis Antiochia editam fidem, sed preferimus eam, vel ob id po-
 tissimum, quod Patres nostri per illud tempus ad propositam
 questionem (συνέδεξεν υπό) accurrerunt. Ceterum, quoniam
 multos superioribus temporibus hec voces ὄμοις τοις ἕποι-
 σιοις turbarunt, atq; etiamnum turbant, ac præterea à non-
 nullis non ita pridem nova vox inducta est, de inegalitate filii
 ad Patrem, quam ἀρχιον vocant, istis de causis ὄμοις τοις ἕ-
 ποισιοις tanquam à Sacris literis alienum rejecimus, &c.
 Unde Athanasius l. c. f. 908. his responsum ait: Hic
 enim dicunt, vocabula (καὶ τὰς γοῖς τὸ ἓμος τὸ) ex sub-
 stantiā & consubstantialem; sibi non placere, & illas voces
 quosdam scandalizasse, & multos conturbasse, eam enim ra-
 tionem ipsi in suis scriptis allegant. Idem f. 912. Nam cùm in
 Encœniis Antiochia, que vocant, promulgasset, filium esse
 Substantię Patris sine ulla dissimilitudine imaginem, jure ju-
 randoz affirmasset, se ita sentire, & anathemate execra-
 rentur, qui aliter sentirent, ac præterea cùm in Isauria ita-

scrit

scripsissent: non refugimus fidem in Encœnii Antiochiae editam, ubi nomen Substantie adscriptum invenies, veluti horum omnium obliti, paulò post in ipsa Isauria scripserunt, se ipsoz. & ipsoz, hoc est, consubstantiale, & similem Substantie, rejicere, ut vocabula aliena à sacris literis, & nomen Substantia tollere, ut quod in Scripturis non reperiatur.

§. 20. Verum & illud certissimum est, Patres Antiochenos LXXX. An. Christi CCLXIX. hanc ipsam vocem ideo improbasse & rejicisse, quod a Samosate no usurpata fuerit. Facile enim hic, absque erroris sui, de quô Epiphanius Lib. II. Tom. II. Hæref. LXV. f. 609. seqq. consulatur, detrimento vocem hanc admittebat, quin imò usurpabat. Testis hujus rei Hilarius est, qui citante Bellarmino, Tom. I. Lib. II. de Christ. Cap. 3. f. 122. & in Lib. de Synodo ita differit: *Malè homou-
sion Samosatenus confessus est, sed numquid melius Ariani ne-
gaverunt? Octoginta olim Episcopi respuerunt, sed trecenti
decem & octo nuper receperunt. Illi contra Hereticum im-
probaverunt: numquid & isti non adversum Hereticum pro-
baverunt? si & probando & improbando unum utriqne sta-
tuerunt, quid bene constituta convellimus?*

§. 21. Similiter vocem hanc à Lutherô reprobatam esse asserunt, Pontificii, Gregorius de Valentia Lib. de Unitate & Trinit. cap. 2. f. 146. Campianus Rat. VII. Possevinus Lib. III. de Notis verbi Dei, f. 68. Bellarminus Præfat. Controv. de Christo, §. sed mitramus. Et in Judiciô Lib. Concord. Mendac. VII. Et ex Calvinianis Lampadius in Censurâ Ubiquit. c. 6. p. 45. Ita verò Lutherus Tom. II. Jenens. f. 407. contra Latomum disputat: *Quod si odit anima mea vocem ipsoz, &
nolimea uti, hereticus non ero. Quis enim me coget uti,
modo*

modo rem teneam, que in Conciliō per Scripturas definita est,
&c.

§. 22. Contrà autem pro hâc voce, tanquam pro aris & focis, Patres Nicenæ Synodi, & qui eos secuti sunt, pugnarunt, manifestè asserentes, non posse contra Arianos veram Christi Deitatem clare & firmiter sotis probari & defendi, nisi mediante voce οὐούσιος. De hâc re *Bellarminus* Tom. II. Lib. II. de Christô cap. 3. hunc in modum differit: Notandum est secundò, hoc nomen divinitùs inventum videri, siquidem destruit simul contrarias hereses Arii & Sabellii. Nam ut docet Athanasius in Lib. de Synod. Arimini & Seleucie, & etiam Basilius in quādam Epistola ad ancillam Dei, non dicitur homousion de iis, que quomodo cunque habent similem Essentiam, sed de iis tantum, quorum unum est ab alterò, & ab illò recipit eandem essentiam. Sabellius fatebatur, Patrem & Filium habere eandem essentiam, sed negabat, unum esse ab alio. Ariani fatebantur, Filium esse à Patre, sed negabant accepisse eandem essentiam. Unde Athanasius in Lib. de Decret. Nic. Syn. dicit, Arianos omnes alias voces tolerasse, prater istam, qui omnes alias poterant trahere ad suum sēnsum, &c. Epiphanius quoq; in Ancorato monet, aliud esse οὐωύσιον, aliud οὐούσιον. Illud enim primum posse recipi etiam à Sabellio, hoc secundum non posse, &c. Prolixiora sunt loca Athanasi tam in Lib. de Decret. Nic. quam in eō, quem de Synodis Arimini & Seleuciæ congregatis scripsit, ut & Epiphanius, quamquam notatu dignissima contineant, quæ hic adscribantur. Notabimus tantum Ambrosii verba, quæ Lib. III. de Fide cap. 7. habet: *Hoc verbum* (οὐούσιον) posuerunt Patres, quia viderunt, Adversariis esse formidini, ut tanquam evaginato ab ipsis gladio ipsorum nefanda heresi

C.

caput

caput amputarent. Et Athanasius in lib. de Syn. Arim. & Seleuciensi, scribit: *Certe cùm omnia queant (Ariani) fūcis, lenociniis, & Sophismatum adulterare, & pro libidine mutare, hanc solam vocem, adaperientem ipsorum heresin, reformitant, quam Patres pro munimentō & arce contra illorum impias commentationes in Scripta retulerunt, &c.* Non dissendif hic Lutherus noster. Ita enim de eādem voce sentit Tom. VII. Altenb. f. 261. *Zum Sechsten / da es gieng an das Herz / daß Christus Homousios sey mit dem Vater / das ist / das Christus mit dem Vater gleich / und einerley Gottheit / gleich / und einerley Gewalt habe / da konten sie NB. keinen Tück / Loch / Rant noch Schwank mehr finden / ic.* Atque hæc estratio, cur vocem hanc in hodiernum usque diem Orthodoxi masculine defendant. Nec obstat iis, quæ ab initio posita est Antithesis, quod docet sequens

Siv. Geot. c.

§. 23. Accipitur enim vox ειοσθ, aut in sensu Samosateniano, aut in sensu Nicenò. In primo significat eum, qui eandem habet essentiam specie talem, qvalem habent filii Jacob & interfese, & cum Jacobo Patre. Nicenus autem sensus dicit eandem essentiam numero, qvalis est in SS. Trinitate inter Patrem, Filium & Spiritum S. Prior sensus in hac causa heterodoxus est: Filius enim non habet eandem essentiam specie differentem cum Patre & Spiritu S. Si enim talem haberet, non amplius unus Deus esset, sed existerent tres Dii, essentiâ numericâ à se invicem differentes, qvemadmodum Jacob, & duodecim ejus filii, tredecim diversi homines sunt; hoc vero heterodoxum

xum esse, quis non videt? Posterior verò sensus est Orthodoxus, & locum hic habet. Ergo filius non est Patri ~~in sensu~~ in *Sensu Samosateniano*. Est autem talis in *sensu Niceno*. Non absurdè proinde Bellarmineus l.c. ita fatur: *Conciliat deinde* (Athanasius) omnes, ac dicit, *Antiochenos Patres negasse homousion Patri esse Filium ad mentem Samosateni, non simpliciter. Samosatenus enim acceperat corporaliter hoc vocabulum, quasi significaret, Filium esse Patri consubstantiale, quomodo est homo homini consubstantialis, ita ut duas substancialia sint, sed unius speciei. Confer omnino Athanasium lib. de Syn. Arimin. & Seleuciensi.*

§. 24. Lutherum verò qvod concernit, falsissimum est, rejecisse eum vocem ~~simpliciter~~ simpliciter, & eo modo, qvō adversarii volunt. Loquitur enim Beatus vir loco citato (1) non *Categorice, absolute, & simpliciter*, qvasi nolit hanc vocem, sed *hypotheticē & conditionaliter*, (positō, non concessō, h. e.) si rejiceret vocem, rei tamen ipsi se nihil obfuturum, nec simul rem cum voce à se rejici aut negari. Rem enim ipsam, qvam vox hæc denotat, masculine ibidem docet & tuetur. Unde (2) distingvimus inter rejectionem rei *significata & signi*. Non priorem, sed posterius tantum, & qvidem solum qvoad materiale hypotheticē rejicit. Inde enim dicit: NB. *modò rem teneamus*. Et proinde (3) concludi ex hoc loco minimè poterit, Lutherum ex rejectione hujus vocis Arianum esse, qvoniā diserte & expressis verbis confitetur, *rem ipsam*, hoc est, æternam Christi Deitatem, ipsiusqve & Patris consubstantialitatem, à *Concilio Niceno per Sacram Scripturam definitam esse*. Plura de hac re qvi de-

fiderat, evolvat *Gerhardum* Tom. I. Locor. de naturâ Dei §. 33. In Exegeſi Loc. de Trinit. n. 52. In Disp. IV. de Gloriâ Dei. §. 1. In Libro II. ſpeciali Confeff. Cathol. p.499. Balth. *Meiſnerum* contra Czarncovium in prima victoriâ p. 104. seqq. *Affelmannum* contra Cenſuram Lampadii. *Feuerbornium* Fafc. 3. Disp. 3. theſ. 86. vel p.446. Oper. Nec non *Vitum Müllerum*, Profeſſ. Tübingens. contra Adamum Koberum, & Johannem Müllerum in Lutherio defenſ.

§. 25.

EXEMPLUM III.

Aντίθεσις.

Aff. Christus eſt Creatura.

Neg. Christus non eſt Creatura.

Endeſis.

§. 26. Arianoſ olim, Christum Creaturam eſſe, contra Orthodoxoſ afferuiſſe, teſtiſ eſt veneranda Antiquitas, & in eadē plurimus eſt *Athanaſius*, qui paſſim eos non ſolū hujus erroris accuſat, ſed & quod tolerandus ille non ſit, acutē evincit. Excerptemus quādam ejus loca, ut dictiſ fides conſtet. Tom. I. orat. I. contra Arianoſ f. 286. D. ait: *Quid Ariani cum Scripturis? aut cur eas proferunt homines iſti, qui creaturam afferunt Dei Verbum, & (ut Ethnici ſolent) cultum exhibent creature, omiſſo Creatore?* Idem Orat. III. f. 390. B. C. *Nam cum dicunt, (Ariani) eum creaturam eſſe, ſed non ita, ut unum ex creaturis, ſive rebus genitiſ, multos cum eo filios ejusdem ordinis conſtituunt.* - - - *Quorū ſum igitur iſta hypo-*

hypocrisis, ut eum creaturam appelleretis, & tamen eum non creaturam appelleretis? Nam si pro appendice à Vobis addatur, sed tamen non ut ulla creatura, ex eō ipso statim apparebit delirium vestri Sophismatis, cùm eum etiam ita creaturam pronuncietis: neq; alia, quām que de aliis creaturis quispiam dixerit, de filio Dei sentiat, ut prorsus simul & deliri & caci. Quis enim creaturarum hæc est, qualis alia, ut hoc tanquam exīsum de filio prædicetis? &c. Hæc Athanasius, satis perspicue indicans, ab Arianis Chrifum Creaturam esse dictum.

§. 27. Verūm ut res clarior fiat, simulque pateat, non tolerasse piam Antiquitatem hanc loquendi formulam, age de hoc quoque puncto quædam affere-
mus. Ita enim idem Athanasius Tom.I.in Expositio-
ne fidei f. 241. C.D. *Caterūm abſit, ut opinemur, condi-
tum aliquid eſſe, aut creatum, aut ex nihilo prodiſſe crea-
rem omnium Deum, eundemq; Dei filium, existentem ab exi-
ſtente, & unicūm ex unico, cui, ut ab eternō ex Patre genito,
par gloria & Potestas: Quisquis enim vidiſ Filium, vi-
dit & Patrem, Joh.XIV,9. Liqueſ igitur omnia à Filio cre-
ata eſſe, ſed filium nequaquam creaturam eſſe, ut Paulus de
Dominō locutus eſt: In eo ſcilicet creatuſa eſſe omnia,
eumque eſſe omnia. Rom. XI,36. Uti non dixit, eum
ante omnia creatum fuīſſe, ſed eum ante omnia exiſtere. Ver-
bum certe creationis de omnibus dictum eſt, eſſe autem ante o-
mnia, ſoli filio congruit, & adaptable eſt. Orat. contra A-
rianos. Tom.I.f. 294. C. Primum Arianorum fenten-
tiam ita recitat: *Cum omnia ſint ex nihilo, etiam Dei filius
ex nihilo emerſit: & cum omnia ſint condita, ipſe quoq; condi-
tum quiddam & opus haberi debet, & cum omnia prius non
eſſent, ſed poſte à extiterint, fuit profecto cum verbum Dei**

erat. Et quia non erat, antequam fieret, principium existendi habuit: tūm enim extitit, cum Deus eum conditum voluit. Nam inter omnia opera ejus, ipse quoq; connumerandus est &c. Pergit f. 295. Quinimō ut omnia aliena diversum sunt à Patris Substantia, ita Ipsum quoq; per omnia diversum aliumque esse à Patris Substantiā, sed ex genitis conditisq; ipsum proprium & unicum Patris filium & Sapientiam esse, eumq; & Creaturam esse, & opus Dei. &c. Postea f. 296. A. hæc refutaturus sic arguit: In Niceno Conventu omnes, quotquot undiquaq; convenerant illic Episcopi, aures suas ad ista verba obturaverunt, omnesq; communī suffragiō istam heresim damnaverunt, & detestatisunt, dicentes, esse aliam diversamq; ab Ecclesiasticā Fide - - - Impietas enim istiusmodi opinio-nibus introducitur, vel potius prater Scripturas Judaismus, trahens secum proximē inter ceteros comites gentilitatem, ad-eō ut, qui ita sentiat, Christianus non debeat appellari. Ibi au-tem, cum Christum esse creaturam pronunciant: & illi, quan-quam creaturae religionis cultu ceremoniisq; inserviunt, quid quo ab Ethnicis differunt? Fol. 297. C. Creaturam autem Eum esse in animum inducunt, non animadvertisentes, quām plena impietatis sit ista opinio. Nam si creatura est, quomodo ipse aut creaturarum conditor, aut Filius & Sapientia, & Ver-bum fuerit? Verbum enim non creatur, sed gignitur. Et crea-tura non filius est, sed opus esse, certum est. Quod si enim creature per eum conditae sunt, ipseq; creatura est, cuius quo, crea-tura habenda est. Necesse est enim, opera per aliquem fieri, uti per Verbum facta sunt omnia, eō quod Verbum opus non erat, sed Patris sui (λόγος) Ratio. Quod si omnia, que voluntate crea-ta sunt, per eum creata sunt, (Joh. I, 3.) quomodo is unum crea-turarum fuerit? aut quomodo Apostolus dicente, propter quem omnia, & per quem omnia (Rom. XI, 36.) isti dicere non
veren-

verentur, non nos propter illum, sed illum propter nos factum esse? oportuit enim, si ita se res habebat, eum ad ipsum modum loqui, propter quos factum est Verbum. Nunc autem non ita, sed propter quem omnia, & per quem omnia elocutus est, clare ostendens; istos hereticos & Sycophantos esse. &c. Merentur certe cætera, quæ ibi sequuntur, ut hic transferantur.

§. 28. Tom. II. f. 580. A. Lib. VIII. de Arianâ & Catholicâ Confessione sequentia habet: Non ergo Deus creatura est, sed homo: Non sepelitur Deus, qui est vita, sed caro: Neq; ab imis resurgit, qui ubiq; est, & super omnes est, sed homo resurgit in Deum: Nam quod flagellatur, & a Pilato judicatur, homo est. Quod autem mundum ipse adjudicaturus adveniet, Deus & homo est. &c. Tom. I. f. 9II. B. in Epist. de Synod. Arim. & Seleuc. hæc habet: Si filius est, creatura non fuerit, aut si creatura est, filius nunquam haberipotterit. Ipsi modi vero cum secum cogitent, inficiabantur quodammodo sacram Baptisma, quoniam illud in Patre & Filio, non in Creatore & creatura datur, quemadmodum ipsi existimant, &c. Quibus plura placent, evolvant Tom. I. fol. 157. B. 286. D. 313. C. 427. B. 449. B. 9II. A. & sese genuinæ Antiquitatis orthodoxiæ oblectent. Nos illud hic tantum monere volumus, satis constare ex iis, quæ allata sunt, non potuisse Patres orthodoxos iu Arianis tolerare sententiam, quâ docebant, Christum esse Creaturam, quæ hodie tamen sententia, quotiescumque res cum Arianorum reliquiis non agitur, à nemine Nostratiū improbatum. Unde acute, ut solet, Dannhauerus in Hodos. p. 646. scribit. **Propositio illa:** Christus est creatura, juxta rigorem verborum admitti debet, cum pertineat ad primum genus com-

muni-

municationis Idiomatum, in quò proprietas unius nature predicatur de Personà in Concretō, interim pia Antiquitas propter Arianorum corruptelas ab eà abstinentendum esse censuit.

Σύνθεσις.

§. 29. Qværitur ergo, qvi fiat, ut antiquiores rejecerint, qvod Recentiores & tolerant, & defendant, & asserere & credere coguntur? Respondemus (1) Antiquiores versabantur in certamine Anti-Ariano, & Arianis contradicentes nec poterant, nec debabant thesin aliter intelligere, interpretari, aut eidem contradicere, qvam in eo sensu, in quo Adversarii eandem accipiebant: id si non fecissent, mali extitissent Disputatores, pravique Doctores. Qvando igitur thesis illa in sensu Ariano accepta hæreticissima erat, rectissime eadem ab orthodoxis in eodem sensu damnata & rejecta fuit. Aliter autem, & longè diverso sensu, extra Certamina Anti-Ariana, eadem thesis theticè & positivè hodie ab orthodoxis admittitur, absqve omni contradictione inter se & Antiquiores. Hi enim thesin in sensu Ariano rejecerunt, minime vero in sensu orthodoxo; rejecerunt αὐτὴν δὲ, non ἡννῷς; Idem hodieque faciunt Theologi orthodoxi. Absit enim longissime, ut Christum creaturam esse concedant eō modō, qvō Ariani volebant, id enim si facerent, veram Christi Deitatem vere simul negarent, qvod nunquam faciunt, aut facere possunt.

§. 30. Acceperunt autem (2) Arianí thesin suam hōc sensu, Christum tam ratione Personæ, qvam ratione Naturæ creaturam esse, confundentes intersese.

sese, tam Personam & Naturam, quam Naturam di-
vinam & humanam. Ea enim, quæ in Scripturâ S.,
de humana Christi natura dicta erant, trahiebantur,
ab ipsis ad naturam & personam divinam. Unde
quando dicebatur, Christum à muliere natum, passum
& mortuum esse, applicabant illi attributa hæc non
solum ad Personam, sed & ad naturam universam,
quam ea Persona habebat. Et seqvebatur hoc modo
prorsus certè, Christum tam ratione Personæ, quam
ratione naturæ creaturam esse. Quemadmodum,
igitur in hoc pessime à veritate aberrabant, ita ortho-
doxi accurate inter Personam & Naturas, nec non
inter Naturam divinam & humanam distingventes,
negabant, Christum creaturam esse, aut ratione ~~τοιστας~~,
aut ratione divinæ naturæ; concedebant con-
trà id ratione humanæ naturæ, & quando Joh. I, 14.
dicitur, quod Verbum caro factum fit. Rejecta pro-
inde ea thesis fuit, quoties creatura aut ad ~~τοισταν της~~
~~λέγεται~~, aut ad naturam divinam trahitur; Contra au-
tem & vera olim fuit, & hodie permanet, quoties vox
creatüræ humanæ Christi naturæ applicatur. Un-
de nullam hic esse contradictionem, manifestum
est.

§. 31. Possimus & (3) distingyere inter *thesin vi-*
tiosam, erroneam & corruptelis Adversariorum contamina-
tam, & inter thesin integrum, veram & ab omni corrupte-
larum genere purificatum. Arianorum erat vitiosa, er-
ronea & variis corruptelis contaminata, utpote ab iis-
dem eum in finem usurpata, ut vera της λέγεται divinitas
negaretur. Unde rectissime tam ab antiquis olim
rejecta fuit, quam hodie constanter rejicitur. In se

D

autem

autem & inter orthodoxos considerata & usurpata eadem thesis, integra, vera & orthodoxa est, & proinde à recentioribus Theologis rejici non potest, qvemadmodum eam neqve ex antiquis quispiam rejicere unquam potuit, aut voluit. Stante enim hâc thesi non solum Eutychianismus evitatur, naturaque humana à divina disertè distingvitur, sed & divina Christi natura tacite vi distinctionis ponitur, Arianismusqve, qvi eam negat, funditus evertitur. Plures hujus generis formulas in foro theologico occurrere, alibi copiosius dicitur.

§. 32.

EXEMPLUM IV.

Aντίτεσις.

Aff. Christus secundum humanam natu-
ram est Deus.

Neg. Christus secundum humanam natu-
ram non est Deus.

Επίτεσις.

§. 33. Scripsérat B. Menzerus in Repetitione Chemnitianâ Disp. IV. in Corollar. *Christum secundum humanam natu-ram esse Deum*, neque cæteri Theologi ab hac loquendi formulâ abhorrebant, qvia & verbo Dei & orthodoxæ Antiquitati conformis erat. Inventus tamen nonnemo est, cui eadem minus placuit. Voluit ideo Menzerum, de Ecclesia orthodoxa immortaliter meritum, erroris ingentis accusare, &, qvaf si non solum ab orthodoxiâ, sed & à judicii acumi-
ne

ne destitutus fuerit , demonstrare. Ita enim in der Wiederlegung Dd. 4. fac. 6. arguit. Quando Menzerus statuit , CHRISTUM SECUNDUM HUMANAM NATURAM ESSE DEUM , cur non addit , & secundum divinitatem est homo ? Non puto autem , aliter intelligi id posse , quam quod pronunciet , per unionem personalis fieri , ut Christus secundum humanitatem sit Deus. Ergo , inquam , per unionem illam sit , ut humanitas Christi sit Deus. Sicut enim , cum dico , homo secundum animam est immortalis , at secundum corpus corruptibilis : Aethiops secundum dentes albus , at secundum pellem niger ; necessario sequitur , & recte concluditur , quia perinde est , ac si dixero , Animam hominis esse immortalem , corpus vero corruptibile ; Aethiops dentes esse albos , at pellem nigram : Sic etiam si pronuncio , Christum secundum humanitatem esse Deum , idem est , ac si affirmem , humanitatem Christi esse Deum. Hæc ille .

§. 34. Menzerus contrà , adversus Calvinianos masculine pugnans , & in præliis iisdem exercitatissimus non miles , sed Dux , thesin suam non minus ex Scriptura deduxerat , (Vide ejus Anti-Martinium p. 323. seqq. & Tom. VI. Gies. Disp. XVII. & 29. sepq.) Sed & phraseologij orthodoxæ Antiquitatis nixus , inconcusus persistebat. Sic enim autor Dialogi IV. sub Athanafii nomine editi , Tom. II. f. 243. οὐκοντεῖς ἐν μαρτιᾳ , τὸ ἐν τίνης ὅν θεῖας , τὸν ἦν θεός συσωδῶς , ἀλλὰ ἐνώσεως οἰκονομίᾳ ; h. e. Qui genitus est ex Maria , quantum ad id attinet , quod ex eadem est essentia , atque Maria , non erat Deus essentialiter , sed economicæ unitiois respectu. Clarius loquitur , & proprius ad rem accedit Job. Damascenus , ex antiquioribus Græcarum Ecclesiarum Patribus sequentes flosculos excerpens , & Lib. III. de Orth. Fide c. XVII.

scribens : *Est scire opera pretium, quod non secundum transmutationem naturae, aut versionem aut alienationem, aut confusionem, NB. caro Domini deificata dicitur simul Deus, & Deus NB. facta, ut divinolonus loquitur Gregorius : quorum hoc quidem deificavit, illud vero NB. deificatum est.* - *Nam ut humanationem sine transmutatione & versione confitemur, ita & factam NB. deificationem carnis glorificamus.* - *Sed & neque caro deificata, à propria versa est natura, aut à naturalibus proprietatibus.* - *Idem Lib. cap. XIX. Propter unionem secundum hypostasin & NB. Caro deificari dicitur, & NB. Deus fieri.*

§. 35. Solent orthodoxi Theologi Menzerianam loquendi formulam conferre cum verbis Petri, Act. II, 36. ubi de Salvatore dicitur, quod fit καὶ οὐκέπειρος πειρωμένος. Et quēmadmodum locum hunc non de eo, quod οὐσιώς & naturaliter in homine Christo est ; sed de illo, quod eidem οὐσιών & vi unionis personalis competit, intelligunt, ita omnia orthodoxorum Patrum loca, quæ magno numero B. Dorsbeus in Pentadecade Disp. XV. §. 3. p. 529. seqq. collegit ex Athanasi T. 1. Orat. 2. contra Arianos. Orat. 3. Basilio M. Lib. IV. contra Eunom. Gregor Nazianz. Orat. 2. Cyrillo Alexandrino Lib. IX. Theol. cap. 3. Tom. II. Epiphanius adv. Hæreses Tom. II. Lib. 2. Hæref. LXIX. Theodoro Raitbi de incarnatione Domini, Gregorio Nysseno in Epist. ad Eustathiam & Basilissam, Theophylacto & Oecumenio ad h. l. Nec non ex Tertulliano Lib. III. adversus Marcion. cap. XV. Ambroso Tom. III. de ob. fratris Satyri, Beda in Retract. ad Acta Apost. Tom. VI. collegit, & recensuit, rectissime hic trahi, & ex iis sententia Menzeriana confirmari potest

poteſt, ut taceam, qvæ ex Pontificiis *Lorinus*, *Cornelius à Lapide*, *Emanuel Sa*, *Sanctius*, & *Petrus Lintrensis* ad loc. Act. nec non *Vasquez*. in 3. Thom. Tom. I. Disp. XIX. num. 48. *Bellarminus* Lib. I. de Christo cap. 18. *Glossa ordinaria* & *Interlinearis* cum *Lyra*, ad eundem locum afferunt; qvæqve ipſi *Calviniani Relianus*, *Calvinus*, *Beza*, *Marloratus*, & plures alii ad locum citatum commenſati ſunt. Omnia enim ea pro Menzero egregie faciunt. Neque Noſtrates hic Menzerum relinquent, ſed egregie defendunt. Vide *Dorschēum* in *Theol. Latrone* p. 197. ſeqq. *Dannbauer*. in *Hodoſ* pag. 649.

Σύνθετις.

§. 36. Neqve difficultis hujus nodi ſolutio eſt. Rationes enim Nonneminiſ nihil concludunt, quia (1) confundunt Prædicationes ex *unione naturali* ortas cum Prædicationibus, quæ *unionem personalem* pro fundamento habent. Ab illis ad has concludere eſt à baculo ad angulum colligere. Pertinet Menzeriana theſis non ad *unionem naturalem*, qvalis eſt inter corpus & animam, ſed ad *unionem personalem*, quæ inter *λόγον* & carnem intercedit, explicandam. Unde (2) diſtingvendum eſt inter theſiſ, quæ naturam à natura diſtingvit, quales eſſe poſſunt à Nonnemine adductæ, & inter theſin naturarum diuarum in unione personali *ἐνωσίν*, communionem & communicationem trādentem. De priori agit Nonnemo; poſte-riorem vero defendit Menzerus. Accedit (3) qvod ingens deprehendatur diſcrimen inter Propositiones uſitatas, qvas Nonnemo urget, & inter Propositionem

D 3 inuſ-

inuisitatam, quam Menzerus habet. Acutè & subtiliter hanc rem *Dorscheus* explicuit, dignus, ut audiatur.

§. 57. Ita autem ille p. 207. Theol. Latron: tō esse Deum tale prædicatum est, quod NB. Suppositum seu Personam connotat. Itaque non licet dicere, eum, qui dicit, Christum etiam secundum humanam naturam esse Deum, dicere, humanitatem esse Deum, quia humanitas non admittit Prædicatum, quod NB. connotat Suppositum. Potius existimandum est, eum dicere, quid tō esse Deum, suo quasi sinu nunc involvat, scilicet divinam naturam θεωδος, humanam autem ινωμενως. Alia est ratio Prædicatorum, qua Nonnemo ad evincendam suam Consequentiam affert. Nam illa mera sunt attributa, quae ē de supposito ē naturā prædicari possunt. E.g. cum dicitur: Homo secundum animam est immortalis, secundum corpus corruptibilis, tūm immortalitas ē corruptibilitas attributa mera sunt, adeoque aliam rationem prædicationis habent ad hominem, quam sit tō esse Deum, ad Christum secundum humanam naturam. Scilicet. Unde ipse Menzerus non simpliciter & absque addito dixit: Christus secundum humanitatem est Deus, sed addidit: Personaliter, sive per ē propter unionem Personalem.

§. 58. Mens igitur Menzeri non est, Christum secundum humanam naturam esse Deum, Θεωδος; sed ινωμενως: non θεωδος; sed ινωμενως: non ratione unionis naturalis; sed personalis: non in Prædicatione usitatā; sed singulari & inusitatā: non quoad confusionem aut identitatem naturarum; sed quoad unionem & communionem personalem: non ratione unius naturæ; sed ratione unius personæ: non secun-

secundum prædicata naturalia, sed juxta attributa Personalia. Quæ singula si recte intelliguntur, & dextre ad rem propositam applicantur, nullum est dubium, quin & Mentzerus ab omni errore absolvatur, & ipse Adversarius agnoscat veritatem & orthodoxiam theseos inculpatæ. Non enim ignorat, pessimam argumentationem esse, si quis à naturâ prædicatum naturalium & usitatârum colligeret per omnia velit ad absurditatem in prædicationibus Personalibus & inusitatis, utpote, quæ toto cœlo à prioribus distant. Neque enim hanc concludendi rationem in prædicationibus Sacramentalibus unquam admisit, aut Adversariis, salvâ orthodoxâ veritate, concedere potuit. Quare dubio procul thesin Menzerianam in sensu Menzeriano rejicere non potuit, quemadmodum neque Menzerus eandem in sensu heterodoxo & absurdo nunquam posuit, aut defendit.

§. 39. EXEMPLUM V.

A'ντιθεσις.

Aff. Christus est unus propter duarum naturarum unionem.

Neg. Christus non est unus propter duarum naturarum unionem.

Ενθεσις.

§. 40. Unam esse Christi Personam, Scriptura, passim docet. *Quod natum est ex Maria, sanctum vocabitur, & est unicus filius Dei*, Luc. I, 35. *Unus est Dominus Jesus Christus, per quem omnia & Nos per Ipsum.* 1. Cor.

1. Cor. II, 6. *Unus Christus pro omnibus fuit mortuus.*
 2. Cor. V, 14. *Christus est unus vir. c. XI, 2. Unus est
 Mediator Dei, & hominum, homo Jesus Christus. I. Tim. II,
 5. Illi, qui redundantem Dei Gratiam & donum Justitie
 accipiunt, in vita regnabunt per unum Iesum Christum.*
*Rom. V, 17. Sed in eadem quoque Personâ duas esse
 naturas, divinam & humanam, inter orthodoxos con-
 stat. Neque illud negatur, easdem naturas in unâ
 & eadem Persona unitas esse, & hinc oriri unitatem
 Personæ. Atque hinc quæritur, unde illa unio ori-
 ginem habeat?*

§. 41. Qui cautè hic respondent, nec concedere
 volunt, *Christum esse unum propter duarum naturarum
 unionem* respiciunt ad accuratum loquendi modum,
 qui ob varias haereses hic observandus erat. Nam
 E. G. Potest etiam Christus propter duarum natura-
 rum unionem unus dici ab eo, qui cum Nestorio, & Ne-
 storianis statuit, duas naturas in duabus personis sibi
 invicem unitas esse. Potest idem afferere, qui cum
 Eutychianis docet & defendit, duas naturas in Christo
 per coalitionem in unam ita coisse, ut unus inde
 Christus ortus fuerit. Quin imò eadem phrasî po-
 tuit uti, qui Vorstio aut Photinianis adhæret, & confite-
 tur, esse Christum unum ab influxu & immeatione per-
 sonalitatis divina in humanam Christi naturam, nam &
 talis influxus & immeatio certo quodam modo u-
 nionem constituit.

§. 42. Postrema hæc clara evadunt ex sequenti-
 bus. Ita enim Vorstius cap. XVII. Apolog. p. 87. *Unio
 duarum naturarum non consistit formaliter in essentiali du-
 arum naturarum indistinctâ, sed arcano quodam, & inef-
 fabili*

fabili Deitatis & λόγῳ in humanitatem NB. INFLUXU^{b.}
*e. singulari quādam illius in hanc operatione, sive gratiosā
 bujus ad illam assumptionē, aut peculiari appropriationē.* - -
 Nota, ita pergit, praecipuum bujus rei argumentum hinc peti,
 quod solus λόγος caro factus est, Job. I, 14. quodq[ue] proinde hæc
 unio personalis in solā & λόγῳ actione formaliter consistat: per
 quam scilicet humanam naturam ita sibi appropriat, & NB.
 QVASI ad se trahit, ut ILLAPSU, sive INFUXU SUÆ
 PERSONALITATIS EAM SUSTENTET, Simili
 modō Volckelius Lib. V. de U. R. cap. XL *Una natura*, ait,
nova saltim qualitate induita est terminus unionis.

§. 43. Atque hæc causa est, cur nonnulli, ut evi-
 tent nimirūn hæresiū pericula, nec ob verba nondum
 satis limitata offendiculum legentibus ponant, ab hæc
 loquendi formulā abstinere malint. Priores autem
 procul omni dubiō mentem in solidum orthodoxam
 habent, neque aliter verba intelligunt, quam quō mo-
 dō exactē cum orthodoxiā consentiunt, neque opus
 habent, ut inter orthodoxos viventes, & iisdem quo-
 que scribentes, metuant, ne pro hæresium propaga-
 toribus & defensoribus habeantur.

Σύγχρονοι.

§. 44. Poterit verò res hunc in modum componi.
Unio nimirūn, (1) aut *Abstractive & Generaliter*, aut *Con-
 creтивे & Specialiter* accipitur. Primō modō sumitur,
 quando in significatione universali, quatenus omni u-
 nioni, cuiuscunq[ue] speciei illa sit, communis est, & com-
 petit. Atque hōc modō dici commode non potest,
 quod per talem Unionem fiat Personæ Christi unitas.
 Nam & minus hoc esset, quam dici debebat, & ansam-

E

sup-

suppeditaret Hæreticis abutendi hâc formula in præjudicium Veritatis, ad varios errores palliandos. Hinc negantium pars satis fundata esse videtur. Nec affirmantes iis in hâc parte contradicent, sed facile consentient. Deinde (2) *Unio* specificè sumta alia est *Personalis*, alia *Naturalis*, vel alterius cuiusdam *Speciei*. Si naturalis, vel alterius cuiusdam speciei unio intelligeretur, omnino neganda esset. Rejiceretur enim hōc modō accepta Thesis ab utrāque parte, cœu in propatulō est. Ergo nec hōc modō daretur contradictione. Quod si vero *Unio Personalis* locum habet, certum itidem est, si terminus ille sumitur in significacione orthodoxâ, neutrâ partem thesin improbaturam aut rejecturam. Tandem (3) distingvimus inter Unionem verè *talem*, & specie vel *formâ talem*. Posteriorēm jactant Hæretici suprà allegati. Unde si thesis eam exprimeret, merito rejicienda esset. Si vero priorem eamque personalem diceret, nulla est ratio, cur ab ullō orthodoxō rejiciatur. Unde & hic omnis exulat Contradictio.

§. 45.

EXEMPLUM VI.

Aντίθεσις.

Aff. Christus est incarnatus.

Neg. Christus non est incarnatus.

Ενθέσις.

§. 46. Λόγον incarnatum, Scriptura dicit. Joh. I, 14. Particeps factus est carnis & sanguinis. Hebr. II, 14. Natus ex muliere. Gal. IV, 4. Factū vero illud est non per naturarum, divi-

divinæ & humanæ, aut transmutationē, aut comixtionem, aut confusione, aut exæquationē, aut aliò quodam modō, quem haeretici olim fingere potuerunt. : Manent enim duæ in Christō naturæ in omnem æternitatem integræ, salvæ, vereq; distinctæ, quanquam nunquam à se invicem separatæ sint, nec earum ulla vel unicam, proprietatem esse entiam, aut amisit unquam, aut imposterum amittere poterit: sed factus est caro per nouaricam negationem, ut Spiritus S.loquitur, Hebr. II, 14. aut per ἀειχθέντων, ceu Patres locuti sunt, eamque non accidentalem, qualis est inter hominem & virtutes; nec essentialem, qualis in Mysterio SS. Trinitatis reperitur, sed Personalem, quæ in solo Christō est, & unioni duarum Ipsius naturarum personali exactè respondet, quam qui negat, is nec à Samosatenianismo, nec Nestorianismo se liberare poterit.

§. 47. Λόγος autem aut ἄστρον est, aut ἐνσημών. ἄστρον fuit ab æternō, quando carnem nondum assumserat. Joh. I, 1. ἡ δέκατη ἡνὸς λόγος, &c. ἐνσημών vero factus est in tempore. Joh. I, 14. ὁ λόγος σαρξ ἐγένετο &c. Gal. IV, 4. Postquam venit plenum tempus, emisit Deus filium suum factum ex muliere, &c. Peperit scilicet Maria filium, cum completi essent dies, quibus ipsa pareret, Luc. II, 6. 7. Quæ ἐνσημών, quanquam in tempore facta est ratione actus, status tamen ratione sempiterna est, nec unquam, aut mutatur, aut plane finitur. Quod enim λόγος semel assumserit, illud nunquam deponet. Facta etiam unio in Christō personalis adeò arcta est, intima & admiranda, ut nata inde sit naturarum duarum ἀειχθέντων τελεστὴ, & æternum duratura, propter quam, neque ὁ λόγος extra carnem, neque ca-

E 2
ro ex-

ro extra λόγον aut sit unquam, aut esse possit. Salva enim permanere debet sanctissima illa αδιασπορία perpetua inter humanam & divinam Christi naturam, quam qui violat, à Nestorianorum confortio se liberare non poterit. Et vere, afferente Paulo, I. Tim. III, 16. Mysterium hoc οὐσίον γνώμων magnum, non Φυσικόν, sed θεοπρεπές æstimandum est, de quo certe si nil sublimius, aut aliter, quām physice & crassè cogitare potes, mane domi post fornacem, &, si liber, pira aut poma torre interim ; saltem hanc rem missam facito, ut heroicē loquitur Lutherus in Confessione Majore de Cœnâ.

§. 48. Doctores itaque ad λόγον ἐνουγένον, qui post incarnationem æternū talis manet, respicientes, ut retinerent unionem personalem salvam, dixerunt, Christum esse incarnatum, hoc est, eandem Personam, quæ Christus in Scripturā dicitur, carnem assumisse, non Patrem aut Spiritum Sanctum. Quanquam enim hi ab incarnatione activa, quæ opus Dei ad extra est, non sint plane excludendi, solam tamen Christi Personam esse, quæ terminativē incarnata fit, vel carnem humanam in suam τελετὴν assumserit. Concurrisse quidem & Patrem & Spiritum S. ad Carnis Christi formationem, carnem autem formatam soli Salvatoris divinæ naturæ τελετὴν unitam esse. Et adfuisse quidem in eodem Mysterio Patrem & Spiritum S. Majestate suā, non vero susceptione vel assumptione carnis, utpote quæ soli Personæ secundæ conveniens fuerit, quemadmodum assumptio speciei & formæ columbinæ soli Spiritui S. attribuenda veniat. Quæ Persona secunda cum sit Christus, non Pater, neque

que Spiritus Sanctus, absque ulteriori scrupulo afferuerunt, Christum esse incarnatum.

§. 49. Alii contrà distinguentes & ipsi inter Christum ἀνθρωπὸν & ἐνομοῦντον, simulque actum & statum incarnationis accurate distinguentes, negarunt eō rerum statū, Christum esse incarnatum. Christus enim non ἀνθρωπὸς est λόγος, sed ἐνομοῦντος. Si autem ἐνομοῦντος jam est, quā quæso ratione potuit incarnari? an bis incarnatus est, adeoque duplicitem habet naturam humanam, alteram ante incarnationem secundam, alteram post eandem? Id vero non solum absurdum, sed & planè heterodoxum esset, novamque quandam hæresin pareret, quā Ecclesiæ non parum turbari possent. Incongrue igitur dici, aestimarunt, incarnatum iincarnari, aut eum, qui jam caro esset, carnem esse factum. Quemadmodum verè & propriè dici nemo potest, viventem eandem specie vitam accipere. Oportet enim eum, qui vitæ particeps vult fieri, ejusdem vitæ non esse, sed demum fieri partipem. Maluerunt ergo ab hâc loquendi formulâ abstinere, retinereque phrasin. Scripturæ, dicentis: τὸν λόγον, sive personam Christi ἀνθρωπὸν esse incarnatam, cum præcipue Christus, ut Christus, nunquam concipi possit absq; carne aut humanâ naturâ, semperq; personam constituat & repræsentet non ἀνθρώπον, sed οὐρανόν, ex naturâ tamen diuinâ, quam humanâ constantem. Salva tamen res est.

Σύνθεσις.

§. 50. Nimirum Priores considerarunt(a)Christum ut secundam personam Trinitatis, qualis reverè est,

est, & ut contradicerent Hæreticis, quales erant (1) *Gnostici, Cerintiani, & Colarbasii*, docentes Jesum & Christum duas distinctas esse Personas: (2) *Nestoriani, & Christolyta*, afferentes aliam in Christo esse Divinitatis, aliam Humanitatis Personam: (3) *Valentiniani*, affirmantes Jesum Christum tres distinctas Personas constituere, (4) omnes *Antitrinitarii*, Christum personam divinam à Patre & Spiritu S. distinctam esse, negantes, docuerunt, Christum, non Patrem aut Spiritum S. aut aliam quandam Personam, incarnatam esse. Atqui hanç ipsam doctrinam Postiores quoque confitentur, & contra eosdem Hæreticos masculè pugnantes, aliter iis contradicere non possunt, quam hōc modō, præprimis quando Hæretici hāc ipsā Christi voce utuntur, negantque Christum esse, incarnatum, quod fecerunt olim *Simoniani, Christolyta, Proclita, & alii*. Quod & observandum contra *Manicheos* erat, qui filium Dei in Christum, seu Filium Mariæ in baptismo descendisse sōnniant. Nec non contra *Valentinianos, Secundianos, & Apollinaristas*, negantes, Christum ex Maria Virgine corpus humanum assumisse: ut & contra *Tarianos, & Manicheos*, qui inficiati sunt, Christum ex Davidis semine natum fuisse. Sicuti & *Valentiniani, Marcionita, & Apollinariste* crediderunt, Christum non corpus vere humanum, sed cœlestē & spirituale assumisse & retinuisse.

§. 51. Deinde (b) abstraxerunt priores à personâ *αὐγήτῳ* & *αὐγῇ*, solamque Personam contemplantes, & vocem Christi ita usurpantes, orthodoxe docuerunt, Christum, hoc est, veram illam & distin-
ctam

Etiam à cæteris, secundam in Mysterio SS. Trinitatis Personam, quæ in Scriptura S. passim Christus dicitur, (Matth. I, 16. 17. 18. c. XI, 2. c. XVI, 16. 20. c. XXII, 42. c. XXIII, 8. 10. c. XXIV, 5. c. XXVI, 63. Marc. II, 29. c. XII, 35. c. XIV, 61. c. XV, 32. Luc. II, II. 26. c. IV, 41. c. IX, 20. c. XXII, 67. c. XXIII, 2. 35. 39. c. XXIV, 26. 46. Joh. I, 20. 25. 41. c. IV, 25. 42. c. VII, 26. 27. 31. 41. 42. c. X, 24. c. XI, 27. c. XII, 34. seqq.) incarnationem esse. Quæ doctrina nihil ab orthodoxia recedit, quare nec in hac significatione posteriores eam rejicere possunt aut volunt. Non enim hinc negant, Eam Personam, quæ humanam naturam in Mariæ virginis utero assumit, esse secundam SS. Trinitatis Personam, quæ CHRISTUS, & in Scripturâ à Spiritu S. & extra Scripturam ab orthodoxis Ecclesiæ patribus Theologisque appellatur. Unde (c) Vocem CHRISTI non tam in *sensu reduplicativo*, quam *specificativo* acceperunt, credentes & docentes, eam Personam, quæ Christus vocatur, esse incarnationem, non *quatenus* antea incarnata fuit, sed quæ in momento incarnationis humanam sibi naturam Personaliter uniebat. Quæ profectò sententia tantum abest, ut à posterioribus rejiciatur, ut potius ceu orthodoxa contra omnes omnino hæreses & hæreticos masculè defendatur.

§. 52. Accedit, quod Priors (d) in hâc loquendi formula non tam ad *Unionis actum*, quam ad *Unionis statum* respexerunt, quod ipsa verborum ratio docet. Non enim dicunt: *Christus fit incarnatus*; sed ita loquuntur: *Christus est incarnatus*. Esse vero ^{ad 20*} post incarnationis actum, verè Christum & Personam.

oùvge-

σύνθετον, sive, quod eodem recidit, *λόγον ἐνομένον*, nemo, qui sapit, negare audebit. Sane Posteriores non ailio respiciunt, quam ad *Unionem*, & *Unionis actum*. Et de hoc, si propriè, accuratè, & absque omni offendiculo volumus loqui, dici aliter non potest, quam *λόγον ἐνομένον*, & Personam *σύνθετην* incarnatam esse. Persona namque *σύνθετος*, & *λόγος ἐνομένος* jam incarnatus est, nec denuò incarnari debet aut potest. Verum sicuti Piores voce Christi ita accepta posterioribus non contradicunt, sed absque morā assentuntur; ita vicissim Posteriores, quando sermo est de *Unionis statu*, negare non possunt, eam Personam, quæ in *Unionis statu* existat, esse Personam *σύνθετον* & *λόγον ἐνομένον*. Unde luce meridianâ clarus patet, nullam inter eos contradictionem veram intercedere, sed manifestum potius consensum adesse. Id quod nobis in præsenti negotio sufficit. Satis enim patet, Adversarios sufficientem causam non habere, qd quam Ecclesiæ nostræ Diffensus alicujus accusent, & præsertim publicè eam calumniam disseminent.

§. 53.

EXEMPLUM VII.

Αὐτίδεοις.

Aff. Solùm, vel sola Christi humana natura est passa.

Neg. Non solùm, vel sola Christi humana natura est passa.

Ende.

'Enđeoīg.

§. 54. De passione Christi, cui Subjecto adscribenda sit, varie disputatum est. Sunt, qui Personæ Christi, sunt, qui naturæ humanæ eandem attribuunt. Sunt præterea, qui diversas has sententias conciliare volentes, dixerunt, pertinere Christi Passionem, tam ad Ejus personam, quam ad naturam humanam. Ad illam quidem, tanquam ad *Principium quod*; ad hanc vero tanquam ad *Principium quo*. Et fatendum certe est, posse hanc sententiam in sensu orthodoxo, & extra abusum, tolerari. Enim vero tamen, quoniam eadem distinctione Adversarii abutuntur, cavadum studiosè est, ne propter abusum istum res per se vera & orthodoxa in erroris suspicionem malitiosè trahatur. Et ne dubium sit, distinctionem hanc in se bonam facile ad errores detorqueri posse, demonstrabimus illud ex simili exemplo.

§. 55. Quæstio est, num Christus mediator sit, tantum secundum naturam humanam? Afferunt hoc Jesuitæ, *Francisi Stanckari, Mantuanii*, hæresin amplectentes. Orthodoxi autem erroneam hanc sententiam Adversariis nequaquam possunt concedere, quia ut unus est mediator Christus, ita secundum utramque naturam officio illo Mediatorio fungitur. Nec sufficiens fuisset natura humana ad Mediatoris negotium expediendum. Debebat enim talis esse Mediator, qui vinceret ipsum diabolum, infernum, mortem & peccatum, ad quæ præstanta non sufficiunt vires humanæ & creatæ; sed requiritur vis & efficacia infinita & omnipotens, quæ in sola divina natura per se & *Providence* reperitur. Id videntes Ad-

F

versa-

versarii, distingvunt inter *Principium quod & quo*, & hoc naturæ humanæ, illud vero Personæ adscribunt. Vide *Lombardum Lib. III. dist. 19. & Bellarminum Lib. V. de Christo cap. 2.* Sed *vix & hinc* fovent, proprietatesque naturales cum prædicatis officialibus turpiter confundunt, hōcque modo errorem contra veritatem introducunt, & fovent. Unde B. Menzerus iisdem magnō cum judiciō & *magistris* respondet, Tom. I. Giss. Disp. 3. n. 109. p. 95. *Jubeo hos omnes, inquit, distinguere inter proprietates naturales, & Christi Officium: & diligenter considerare finem, propter quam filius Dei factus fuerit homo. Nam filius natura humana passio, & mors ne minimum quidem robur habet adversus iram Dei & eternam mortem.* Qualis autem difficultas occurrit in officiō mediatory, talis reverā etiam invenitur in Passione, utpote quæ non alia, quam Mediatory, esse debet. Accedit, quod, etiam si distingvere velimus inter Traditiones primi & tertii Generis Communicationis Idiomatum, dicere que in tertio Genere ad Personam respici, in primō autem ad naturam, respondendum tamen esset, nec hanc distinctionem sufficere, quoniam in primō etiam Genere non ad solā naturam, sed imprimis etiam ad Personam respicendum est. Si enim respectus ad solam naturam, obtineret, nulla adesset communicatio, adeoque talis prædicatio ad nullum planè Genus communicationis Idiomatum pertineret, quod absurdum est.

§. 56. Usurparunt autem hanc loquendi formulam Antiqui olim rectissimè contra Eutychen & Eutychianos. Hos enim in consecrariis dogmatum suorum statuere oportebat, Christum secundum utram-

tramque naturam esse passum, quoniam duas inter se naturas heterodoxe confundebant, adeoque quod divinæ naturæ soli competebat, humanæ naturæ, & vicissim, attribuebant. Hos non poterant clarius contundere & confundere orthodoxi, simulque docere & confiteri, utramque in Christi Persona naturam salvam distinctamque esse, quam si profiterentur, non divinam, sed solam humanam esse passam, cum divina omnis passionis ex se & essentiâ suâ expers sit. Tribuebant igitur passionem humanæ Christi naturæ primo, quia ipsi propriè & per se competebat. Secundo, quoniam divina ejus natura omnis passionis expers & incapax est. Tertio, ut reale discrimen in ipsâ unione Personalis duarum naturarum confitentur. Quartò, ut utriusque naturæ existentiam, eamque inter se distinctam, quanquam in unâ ^{re} ~~re~~ ^{et} ~~et~~ ^{re} ~~re~~ se exhibentem, declararent. Unde, quotiescumque Orthodoxis negotium cum Eutychianis intercedebat, rectissime & tutissime hâc loquendi & docendi ratione utebantur.

§. 57. Trahebant hoc in partes suas Nestoriani, qui cum Capite suo ita inter se distinguebant duas in Christo naturas, ut ex eorum dogmate, per legitimam consequentiam, duplicitas etiam Personae ostendetur, ita quidem, ut alius ipsis Christus esset, qui erat Deus, alius, qui erat homo: alius, qui pateretur, & alius, qui divinitus vinceret mortem: alius, qui moreretur, & alius, qui opera divina operaretur. Hic igitur ambabus, quod dici solet, manibus amplectebantur, solam Christi humanam naturam passam esse, ita enim ex sententiâ suâ integer ipsis remane-

bat Christus Deus, quippe qui hōc modō nihil ad passionem contulisset. Intelligentes hōc optimē Orthodoxi, abstinebant ab hāc phrasī, quando agendum ipsis cum Nestorianis erat, ne, aut in eosdem errores consentire, aut operculum aliquod & perfugium iis suppeditare viderentur, qvo aut Nestorianismus suū occultare, aut ejus aliqualem defensionem acquirere possent. Concedebant enim absqve difficultate, solam humanam Christi naturam passam esse, qvo non solum divinam ejus naturam ex passione eriperent, sed & duplicem esse Christum docere possent: alterum nimirum patientem, alterum verō passio-nis expertem: alterum mortalem & morientem, alterum contrā immortalem & æternum. Habebant igitur Orthodoxi sufficientissimam rationem, ob qvam à phrasī illā se abstinerent, & eandem in sensu Nestorianō pro erroneā, periculosā & heterodoxā haberent.

§. 58. Et qvanquam res se hōc modō haberet, ut adeo omnes, Antiquos Patres orthodoxos secuti, eorum vestigia premere debuissent, inventitamen sunt inter Calvinianos, qui, ut realē Idiomatum communicationem eō fortius negarent, hunc loquendi modum, aut eidem similes, in usum revocarunt, aut saltim eundem libenter audiverunt, & admiserunt, qvo siuis erroribus colorem aliquem nanciserentur. Castigavit hunc errorem jam dūdum B. Menzerus in Defensione Collationis Aug. Conf. Disp. IX. §. 49. p. 135. & Tom. I. Oper. Latin. p. 449. in Pierio sequentibus verbis: Pierius distinguit: Tantum Caro, inquit, est passa, ut exclusiva excludat Deitatem à passione,

non

non autem à carne paciente. Contra, passio & mors est ipsius Dei passio & mors: Ergo non solum humanitatis. Solus enim homo mori quidem potest, sed pro mundo mori non potest, nisi Homo - Deus. Filius igitur Dei passiones carnis sibi appropriat, & sic ipse patitur in suâ propriâ carne, tam verè & realiter, quam Petrus & Paulus in carne sua. De-testabilis igitur est Nestorius, exclamans. Noli gloriari, Iudee, non enim Deum, sed hominem crucifixisti.

§. 59. Eundem errorem taxavit idem Menzerus in Calvinistis, Matthia Martinio, qvod patet tam ex Anti-Martiniō, quam ex Martiniō ἐλεγχούμενω pafsim, ut & in Paulo Steinio, Concionatore Cassellaiō: Steinius, inquit, Alceosin Zwingli defendendā suscipiens, p. 41. indignatur Lutherō, qvod Diaboli larvam appellari, & me erroris insimulat, quod scripserim, Calvinianos permutare nomina persone & naturae. p. 92. Expediam breviter. Zwinglius per suam ἀλαιώνια sic permuat verba, ut nominatō filiō Dei, intelligat humanitatem, & nominatō Filio hominis intelligat Divinitatem. Cäpe exempla. Deus est passus, id est, caro Deitati unita est passa. Homo est omnipotens, id est, Deitas Humanitati unita est omnipotens. Quæ formalia verba sunt Beza in Colloquio Mompelgartenſi. Sadeel: Caro Christi, inquit, est vivifica, id est, est caro illius: qui est vivificus. Danæus: Christus homo est mortuus pro nobis, hoc est, NB. Natura tantum illa Christi humana. Adjunge Herbornenses scribentes, NB. Tantum Naturam humanam esse mortuam, totam vero Personam per mortem aboleviſſe eum, qui mortis habebat imperium. Anti-Stein. Disp. I. n. 47. 48. Tom. II. Oper. f. 545. a. Qvis vero ex his non videt, Calvinianos lutentissime accepturos hanc docendi

rationem, qvia sub eadem errores suos subtiliter & provide occultare possunt.

§.60. Digna haec res est, qvæ pluribus explicetur. Faciemus id ejusdem Menzeri, Viri in his controversiis exercitatissimi & accuratissimi, verbis. Ita vero is Tom. I. Giff. Disp. 3. priore n. 90. 91. 92. 93.

p.51. Admodum infelices sunt analytici, qui ad fucandam Cinglianam ἀποιωσιν, Syncedebicas vocant istas propositiones: Filius Dei est passus, id est, humana natura Filii Dei est passa. Nominatur tota persona, inquit, & intelligitur pars. Quare est Syncedochē totius pro parte. Αλόγος τοις αἴσθατος: Quos solidioris literatura candidati meritō rident, qui norunt actiones & passiones esse suppositi, sive persone. Propriè igitur dicitur persona pati, crucifigi, mori. Homo est, qui intelligit, inquit ex Aristotele Scaliger Exerc. 307. sect. 26. non anima. Intelligit autem per animam. Somnium igitur illius Syncedoches est τὸν αἰσθάτον. Quid? Humana natura patiens subsistit in Λόγῳ, an extra illum? Posterius aperte Nestorianum est. Si prius, à passione persona excludi non potest. Et qui potest sola natura humana, que finita est, pati pro mundi vita? Et quomodo passio illa vocari, quid ipsis Dei passio, se est humanitatis tantum? vide Dn. Lutherum in maiore Confessione, de alioſi Cingliana, & libro de Conciliis & Ecclesia. Atque hec causa est, cur nonnulli prestantes Theologi distinctè proponant predicationes, in quibus subjecti loco ponitur Filius Dei: nimurum, ut insidias hereticorum facilius detegere possint. Nota hic Th. Bezæ inconstantiam, qyi cum part. i. Resp. ad Colloq. Momelg. p. 183. edit. Genev. Anno 87. banc propositionem: Deus est passus, ita interpretetur: Deus, id est, Caro Dei-

Deitati unita est passa. Et : Homo est omnipotens, id est, Deitas humanitati unita est omnipotens : non dubitavit tamen in eodem illo libro, p. 121. cum talis illi analysis fuisset objecta, aperte negare, illam esse suam. Provoco, inquit, ad mea avulsiōes contextum, ubi nullam talem subdolam interpretationem invenies. Et tamen ibi profecto tota habetur illis ipsis verbis, ut avulsiō ostendit. Vide Colloquium Mompelgartense, p. 213. in responsione Bezæ, ad dogma i. de persona Christi. Plura, qvæ huc facere possunt, invenies ibidem Disput. 3. posteriore n. 31. sequentibus, p. 63. seq.

Σύνθεσις.

§. 61. Patet ex iis, qvæ hucusqve adduximus, eos, qvi duplici hac phraseologia utuntur, Theologos, si orthodoxi sint, sibi nullò modō contradicere, sed dulcisimâ qvâdam harmoniâ invicem consiprare. Est enim utraqve Prædicatio vera: prior contra Eutychianos. Posterior contra Nestorianos. Qvando proinde prior adhibetur, respicitur ab usurpantibus ad Errores Eutychianorum : Et contrà, si posterior usurpatur respectus habetur ad Nestorianos. Utrobiqve igitur & orthodoxiæ habetur ratio, & rejiciuntur pessimi errores, sive illi sint Nestoriani, sive Eutychiani, sive Calviniani. Sicuti itaque orthodoxi in evitandis & rejiciendis his erroribus exesse consentiunt, ita etiam non dissentient in usu eorum Enunciationum. Priorē enim æqve errores Eutychianorum damnant, ac posteriores Nestorianorum erronea effata respuunt.

§. 62. Perspexit illud egregie acutissimus Menzerus.

zerus. Is de hâc re ita loquitur: *Nota, inquit, in Controversia contra Nestorium, Hereticarum esse exclusivam:* Tantum caro Christi passa & mortua est. *Ibi enim natura opponitur Personae; vel, ut Nestorius deliberat, una Persona, scilicet Homo, persona alteri, scil. Deo.* In certamine autem contra Eutychianos pie & orthodoxè dicitur; Christus est passus carne tantum, & non etiam Deitate, nimis ad servandum discrimen naturarum. Quomodo dicta Patrum recte solidaque explicari possunt, ad solam naturam humanam, (Deitati quidem personaliter unitam, sed ab eâ tamen essentialiter distinctam,) passionem & mortem Christi referentium. Semper autem tenendum est fundamentum, quod ipse Autor uite imperfectus, & Dominus Glorie crucifixus sit, & Deus proprio suo sanguine acquisiverit Ecclesiam. Act. III, 15. 1. Cor. II, 8. Act. XX, 28. Tom. I. Oper. f. 449. vel, in Defens. Collat. A. C. Disp. IX. n. 50. p. 136.

S. 63. Similes meditationes habet in Anti-Steiniô, Disp. I. n. 49. 50. 51. Tom. II. Oper. Latin. p. 545. Non veretur Steinius Scripturam vocare in testimonium, nempe 1. Job. I, 7. Apoc. I, 5. 1. Petr. I, 19. Act. XX, 28. Que dicta, si diligenter expendas, Officium Christi explicant, & hactenus hoc loco sunt aliena. Quia tamen involvitur Proprietas humana, hactenus possunt buc referri. Sed nullibi habetur exclusiva, quam ponit Steinius: Tantum natura humana est passa & mortua, quod bene notamus. Quia vero apud Vigilium & Augustinum exclusiva ponitur, quod extremum Steinii refugium est, p. 46. 47. commendo pietatis Studiosis banc Regulam: In Controversiâ contra Eutychianos recte vereque dicitur: Sola humanitas, non etiam Deitas, est (passa &) mortua, quia hic de naturarum discriminis.

mine disceptatur : In certamine autem contra Nestorium, hæreticum est dicere, solam humanitatem, & non ipsius æternum Dei filium, passam & mortuam esse, quia hic disceptatur de Personæ unitate, quam non servat, quisquis dicit, non ipsum τὸν λόγον, sed carnem & λόγον passam & mortuam esse. Quandoquidem ergo Zwinglii Alceosis non est opposita Eutychianis, sed latam portam aperit errori Nestoriano, rectè vereq; ut Diaboli larva, reprobatur.

§.64. EXEMPLUM VIII.

Αὐτίςτις.

Aff. Deus est passus & mortuus, secundum naturam humanam..

Neg. Deus non est passus & mortuus, secundum naturam humanam..

"Επίτις.

§.65. Non admodum à priori exemplō præsens remotum est, ex quâ causâ id antecedenti subjungere voluimus. Affirmativam enunciationem in orthodoxo sensu nemo Nostratium rejicit; vera enim est, & non solum Personam Redemptoris rectè, & more in Scripturâ Sacrâ consuetô, exprimit; Sed & naturam humanam à divinâ in eâdem Personâ perspicue satis distingvit, nec non unionem earum personalem, & Communicationem Idiomatum simul indicat, & juxta quam naturam Salvator passus & mortuus sit, enunciavit, adeoque variis hæreticorum erroribus occurrit, & veritatem contra eosdem communis. Unde, si à

G

nostris

nostris Doctoribus usurpatur , simulque à legentibus & usurpantibus rite intelligitur , inque Ecclesiis nostris conservatur , non est , cur reprehendi aut rejici debeat . Quia tamen ita comparata est , ut jam pridem ab heterodoxis Doctoribus , aut erronee usurpata , aut in abusum pertracta fuit , æstimarunt nonnulli , rectius ab eâ abstineri , aut in sensu heterodoxo eandem plane negari . Ita enim eripi Adversariis aut perfugium aliquod , aut subtrahi ficus folium , sub quo nuditatem suam occultare solent .

§. 66. Sunt enim è Calvinianis , qui affirmativam exosculantur , ita tamen simul eandem interpretantur , ut , venenum aliquod sub eâ latitare putandum sit , dum plane in partes suas trahunt . Allœfin itaq; suam sectantes hunc in modum eam resolvunt : Deus , h. est , humana Christi natura est passa . Ubi & personam tollunt , & soli naturæ humanæ passionem & mortem , absque communicatione , attribuunt . Ita enim docuit Zwinglius , Tom. II. in Fidei ratione ad Carolum Imperatorem f. 538. b. *Pro nobis perhibet , Christum passum esse , Petrus , cum NB. SOLA HUMANITAS pati posse .* Sécuti hunc magnô numerô alii sunt . Unde etiam Matth. Martinius in Spic. pag. 184. scripsit : *Humananaturantum (passa &c) mortua est : tota vero Persona abolevit eum , qui mortis habet imperium .* Nec utuntur Calviniani tantum hòc explicandi modò , sed & eum , quando à nobis meritò reprehenditur , defendere satagunt . Paulus certè Steinius id datâ operâ fecit partim in der Rettung / pag. 45. partim . Part. I. Fraternitatis , pag. 151. 152. Quibus singulis ex aſſe ſatisfecit B. Menzerus , tam in Anti - Martiniō , quam in Anti - Steinio passum .

§. 67. Ex-

§. 67. Excipiunt quidem, se Personam non separare à naturâ humanâ paciente & moriente , cùm doceant, humanam naturam esse passam in hypostasi τῷ λόγῳ. Vide Martin. in Spic. p. 25. in Symbol. p. 284. in Theol. p. 616. Steinium in der Rettung / pag. 46. & P. I. Fraternitatis p. 148. 155. 164. Verum & hic ὡς λόγῳ occultant & fovent. Non enim sufficit ad demonstrandam & confitendam unionem personalem & Idiomatum Communicationem, dicere, carnem τῷ λόγῳ personaliter unitam esse passam , & in illa passione ab hypostasi non esse separatam ; cùm idem possit asseri de Petró & Paulô, passos eos esse secundum humanas naturas suas, nec in illâ passione Deum, cui spiritualiter, & per fidem uniti erant, Ephes. III, 17. Joh. XV, 2. 4. ab iis separatum esse. Dicere enim hic non possumus : Deus in Petró & Paulô passus & mortuus est. De Christo autem id verè & recte dicitur. Ingens enim discri-
men est inter Unionem Personalem & Spiritualem. In illâ unica est Persona ; in hâc autem duæ : in illa omnes actiones & passiones sunt ipsius unius Personæ , juxta illud : *Actiones & Passiones sunt Suppositorum* ; in hâc contrâ , quemadmodum duæ distinctæ deprehenduntur Personæ ; ita aliæ actiones primæ , aliæ secundæ competunt. Ita homo credens, Deo unitus , credit, orat, edit, bibit, &c. quæ actiones soli homini , minime autem Deo competit : Deus enim nec credit, nec orat, nec edit, nec bibit, &c. Et vice versa , Deus homini unitus , gubernat mundum , omnia cognoscit, omnia conservat , &c. Hæc vero de homine etiam credente dicere, absolum est. In Personali autem unione omnia secus se habent. In eâ enim duæ naturæ adeò arcte in unâ τοπίον unitæ sunt, ut

non solum actiones secundum utrasque naturas unius eide Personæ competant; Sed & ex eadem unione vera & realis sequatur Idiomatum Communicatio. Unde humana Christi natura, in unione considerata, est omniscia, omnipotens, vivificans, omnipotens, & ita porrò, quod in unione mysticâ minime procedit.

§. 68. Ad Adversariorum igitur Strophas revertentes malunt nonnulli ab illâ loquendi formâ plane abstinere, juxta illud Paulinum, 1. Cor. VI, 12. c. X, 23. *Omnia mihi licent, at non omnia conducunt, aut expediunt.* Cavendus enim Calvinianus error omni modô est. Si namque verum, humanitatem Christi esse passam, sequitur, quod illa patiens humanitas, aut hypostasin habuerit, aut non. Si hoc, nulla facta est passio, quoniam passiones & actiones sunt Suppositi, ut Principii earum quod, nec natura aliter agere, aut pati potest, quam ut Principium quod, hoc autem absque priore, nullum est, quemadmodum nulla datur causa secunda absque prima, nullus finis minus principalis & secundarius, absque principali & primariô. Ubi itaque nullum datur *Principium quod*, ibi quoque nulla datur passio aut actio. Si igitur nulla fuit in Christo passio, falsa est Scriptura, & nulla erit Salus nostra, quod admodum absurdum est. Quod si vero patiens illa humanitas ~~conservat~~ habuit, fuit illa aut alia ab ~~conservat~~ & ~~adserit~~, aut eadem. Si alia fuit, habent, quod gaudeant & glorientur Nestoriani, nec excusare se poterunt Calviniani, se non consentire cum iisdem. Siverò eadem est, habemus nos, quod volumus, adeoq; recte negamus, solam humanam Christi naturam exceptâ ~~conservat~~ & naturâ divinâ passam esse, neque debere enunciationem hanc: Deus passus est

est secundum humanam naturam ita interpretari, ut idem sonet, ac: humana Christi natura, non autem divina, aut Deus est passus.

§. 69. Accedit, quod ista Calvinianorum Analysis plane absurda & ridicula sit. Hæc enim ex eorum mente fluit oratio: Natura humana passa & mortua est, secundum humanam naturam. Quis non ride-ret in Philosopho, si Prædicationem: homo intelligit secundum animam rationalem, hoc modò vellet red-dere: Anima rationalis in hominè intelligit secundum animam rationalem. Plus certè & amplius dicitur in Prædicatione, illà, nimirum, hominem præter animam rationalem habere etiam corpus, & hæc duo constituere unam essentiam in unâ hominis personâ, intelligere tamen hominè, corpore & animâ constan-tem, non secundum corpus, utpote, quod intelligendi vi non sit præditum; sed juxta animam, quæ potestatis intelligendi capax sit. Hoc verò si ita se habet in Uni-one naturali, qualis est inter corpus & animam, multò magis illud procedat necesse est in unione Personalis; quippe quæ illa miris modis arctior est, & superior.

Σὺν θεοῖς.

§. 70. Attamen res ita se habet, ut nulla vera intercedat Contradiccio inter Orthodoxos, sed solum inter Orthodoxos & Calvinianos. Hi enim particu-læ secundum vim attribuunt, separandi, ita ut naturam humanam & divinam, cuius est ~~ταύτης~~, à quâ realiter non differt, sejungat, adeoque τὸν λόγον solvat, quod Nestorianum est. Contra verò Orthodoxi eidem particu-læ vim concedunt *distinguendi*, utpote per quam, humana natura à divinâ in eâdem hypostasi existens,

distingvatur, & quidē eum in finē, ne Eutychianism⁹ fo-
veatur, sed hāc ipsā distinctione evitetur. Quamdiu igit̄
tūr vocula secundū est χωείσσων, qualis est juxta Zwingli-
tūm, tām diu omnes orthodoxi, adeoq; & illi, qui in Anti-
thesi suprà posita subintelliguntur, eam manibus pedi-
busq; à se repellunt, secus facturi, quando eadem par-
ticula solum est Αγαγένεσιον. Separativa tollitur: *Distin-*
ctiva retinetur. Quando proinde enunciatio affir-
mativa in sensu accipitur Nestorianō & Calvinianō, re-
ctē respuitur; quando ē cotrariō in sensu sumitur or-
thodoxō & distinctivō, non minus rectē contra Eutychianos usurpatur & defenditur. Sicuti enim in affir-
matione cavendus est Nestorianismus, ita in negatio-
ne cavendum est, ne ansa præbeatur Eutychianismo.

§. 71.

EXEMPLUM IX.

Aντίθεσις.

Aff. Approbandæ sunt Prædicationes Hypostaticæ & Idiomaticæ, in quibus de Abstractō prædicatur Concretum..

Neg. Prædicationes Hypostaticæ & Idiomaticæ, in quibus de Abstractō Concretum prædicatur, non sunt approbandæ.

Ενθεσις.

§. 72. Quòd multæ difficultates dentur in Prædi-
cationibus Hypostaticis & Idiomaticis, nemini obscu-
rum

rum est, nisi qui in dulcissimâ eâ doctrinâ hospitem se profitetur. Tūtissimus ille est, qui omnem eam doctrinam ad sola Scripturæ dicta, sive Prædicationes ab ipsô Spiritu Sancto nobis datâs, restringit. Sic enim non obligatur ad expedienda ea, quæ ab hominibus bonâ quâdam intentione sunt tradita. Aut, si omnino respondendum ad ea quipiam est, rectè illa ad normam Scripturæ Sacræ reducuntur, & in aliò sensu ea accipienda esse, negatur. Enīm verò tamen, uti cavendum est, ne quicquam absque Scripturâ, vel ut Patilus, ἀδεν εἰπούσης τὸν προφῆταν, Act. XXVI, 22. aut, sicuti Petrus apud Clementem Alexandrin. Lib. VI. Stromat. locutus dicitur: ἀδεν ἀπειπει φασκάν, dicatur, aut scribatur; ita postquam ab Orthodoxis Viris nonnulli loquendi modij jam usurpati & in Ecclesiæ usum pertracti sunt, cavendum & alterum extrellum est, ne exemplò, ut falsi & erronei rejiciantur. Hoc enim si fieret, non solum orthodoxis Doctoribus, sed & orthodoxiæ præjudicia attraherentur, cùm tamen iidem eos loquendi modos non aliter intelligendos, aut explicandos esse velint, quām quantum illi cum Scripturis Propheticis & Apostolicis ex assē conveniunt. Unde explicandi, non imitandi sunt, monente Chemnitio in Lib. de duab. Christi Naturis. Cap. XIV. p. 93. b.

§.73. Hujus Generis Enunciations, quæ rectè, ad discriimen Divinarum, Ecclesiastice nuncupantur, variæ sunt, nec in solo Articulo de Christo deprehenduntur. Sunt enim & sacramentales hujus ordinis, E. G. Panis est corpus: Vinum est Sangvis Christi, de quibus alias. Plurimæ autem in Loco de Christo inveniuntur, ex quibus eminent eæ, in quibus Concretum-

præ-

prædicatur de Abstracto, quales sunt sequentes : *Humana Natura est Deus. Caro nostra est filius Dei. Caro nostra est ipse Deus. Caro Christi est vivifica. Sangvis Christi est vivificus. Humana Christi natura est omnipotens. &c.* Usurparunt certè Enunciationes has & Veteres Orthodoxi nonnulli, & Recentiores. Inter eos ipse *Lutherus* est, quem secuti sunt alii, *Jacobus*, nimurum *Andrea*, *Salomon Gesnerus*, & alii.

§. 74. Non pauca hujus ordinis apud Patres inveniuntur, in quibus tam Concreta de Abstractis, quam Abstracta de Concretis, & Abstracta de Abstractis enunciata sunt. Ita Athanasius ad Liberium scribit: *Illa caro suspensa est in cruce, non ipse.* Sic & Augustinus contra Sermonem Arianorum Cap. VIII. ait: *Talis est unitas Personæ ex utraque Naturâ constans, ut quislibet eorum vocabulum etiam altera impertiat, NB. illa Divinitas hujus humanitatis nomen accepit: Et ista Humanitas illius divinitatis nomen accepit.* Eodem modo Virgilius Lib. I. differit: *Propter singularitatem Personæ & mors ad divinitatem, & immortalitatem ad Dei refertur Humanitatem.* Lib. IV. dicit: *Constat, Divinitatem Humanitatis habere vocabulum, hoc est, NB. Verbum dici carnem, quia utrumque unus est Christus.* Affert præterea Chemnitius ex Concilio, quod Spalense vocat, Augustini sententiam in Johannem, quæ sequens est: *Nec anima mortua est, nec verbum, NB. Caro tantum mortua est, ut in ea mors moreretur.* Chemnitius lib. cit. Cap. XV.

§. 75. Quin & illæ deprehenduntur Prædicationes Personales, in quibus Concretum de Concreto ita prædicatur, ut multum favere Nestorianis videri possint. Tales sunt, quando Athanasius Tom. I. in EX-

Exposit. Fidei scripsit : *Filius Dei nostrum assumptus hominem, quem passioni tradidit, & in eo resurrexit.* Eodem modo Irenaeus apud Theodoretum dixit : *Christus univit hominem Deo.* Ambrosius de Fide Lib. IV. Cap. 8. Loquitur secundum hominis filium. Lib. II. Cap. 4. Ex Personâ hominis dicit, Patrem sê majorem. Et Lib. V. Cap. 3. Ex personâ hominis loquebatur. Similiter Amphilius apud Theodoretum : *Si vultis scire, ait, quomodo Pater major me est, id dixi ex Carnis, & non ex Divinitatis Personâ.* Et Epiphanius contra Ariomanitas, ad verba Psalm. XXII, 2. Deus meus, ut quid me dereliquisti, non ἐν τροπής Deitatis hæc dicit, sed ἐπὶ τροπής Humanitatis. Ita denuò Athanasius : *Ratione hominis, quem ex Maria gestavit, talia dicuntur.* Et Hippolitus : *Christus gestavit hominem.* Eustachius : *Quod ex mortuis suscitabatur, homoné erat, an Deus?* Nec non Amphilius : *Voces humiles tribues homini, qui est ex Mariâ; sublimes verò λόγῳ, qui erat in principio.*

§. 76. Hæc, similesvelocutiones, qvanquam heterodoxæ non erant ex mente primo usurpantium, scandalosæ tamen per accidens evadebant propter abusum heterodoxæ sentientium. Iis enim Nestoriani æquè ac Eutychiani abutebantur, ut erroribus inde suis colorem aliquem afferrent, orthodoxæ obessent, & animos recte credentium, in primis simpliciorum turbarent. Vide *Chemnitium* in Libro de duabus in Christo Naturis, Cap. XV. Factum inde est, ut prudentiores studiosè suaderent, abstinentum esse ab illarum usu inter orthodoxos Scriptores & Doctores. Fecerunt illud præter *Chemnitium* jam laudatum Agydius Hunnius in *Quæstion. & Respons. de Communic. Idiom. Leonb. Hutterus ad Artic. VIII.*

H

Form.

Form. Conc. p. 576. seqq. & p. 836. seqq. Et Menzerus in Anti-Martin. p. 202. in primis p. 513. in Defens. Collationis A. C. p. 67. §. 37. & Tom. I. Disp. G. II. Disp. III. §. 42. seqq. Quos fecutus est B. Carpzovius, Pater, Parte alterâ Systemat. p. 101. & 170. ut & B. Rappoldus Part. I. Scriptorum Theol. in Artic. II. Visitatorium Sect. I. Thes. IV. p. 963. Sed videamus nunc paucis, quâ ratione conciliandæ hæc inter sese sint sententiae.

Σύνθεσις.

§. 77. Primum conciliandi modum Lutherus nobis suppeditat. Hic enim, quanquam in Majori Confessione scripsérat, *Scripturam Deitati tribuere*, quicquid *Humanitati accidat*, & contrà, utraque tamen vocabula non in *Abstracto*, sed in *Concreto* intelligenda esse voluit. Manifestum illud sit ex Commentariô in Cap. LIII. Esaiæ, ubi tot verbis inculcat, *tacendum prorsus in hoc loco*, (de Communicatione nimirum Idiomatum) de *Abstractis esse*, quia fides doceat, nullā hic esse, *Abstractiōnem*, sed *Concretionem*, communicationem, & copulationē utriusq; naturæ, & propterea de hâc re loquendū esse, tanquam *de Concreto*: Filius Dei moritur: Filius Dei patitur. &c. Ex quô fundamentô distinguimus inter *Abstractum Naturæ Abstracte positum*, & *Concrete Suppositum*. Nec non inter *Abstractum Nominale & Reale*. Prius est, quod solō nomine rem in *Abstracto* denotat: Posterior autem quod & nomine & re tale est. In præsenti Materiâ adhiberi quidem potest *Abstractum Nominale*, non autem *Abstractum reale*, atque id ipsum Lutherus postulat. Deinde potest aliquid *Concrete supponi*, quod tamen voce *abstracta* exprimitur & ponitur. Hic iterum prius requiritur in doctrinâ de Christo, quanquam res *abstractive* enunciata sit. Dicimus ergo,

go, Affirmantes fundari in Suppositione reali, quæ facit, ut vox Abstractiva non debeat aliter intelligi, quam res in Concretō, & hōc pactō sibi negantes non habent oppositos. Negantes contrā nituntur voce Abstractivā, *Abstractivē* non solum *positā*, sed & *suppositā*, eaque non *Nominali* tantum, sed & *Rēali*. In quō significandi & docendi modō denūo Affirmantibus non sunt adversi, quoniam & hi idem docent.

§. 78. Alterum conciliandi modum B. Menzerus suppeditavit. Is enim E.G. Abstractum humanæ naturæ duplici considerat modō. Unō, quando *specialiter* eam indicat naturam, quæ communis est omni homini; quā ratione homo quilibet vulgaris *Concretum*, & cuiuslibet hominis communis natura, Abstractum suppeditat. Aut, ubi homo universaliter consideratus est *Concretum*, & vicissim, natura humana universaliter accepta est Abstractum. Atque hoc modō negat, Humanam naturam esse Vivificam. Si enim hoc esset, sequeretur illud absurdum, quamlibet hominis naturam esse omnipotentem, & infinitam & æternam, quia vis vivificandi non alia, quam talis esse potest. Alterō deinceps modo naturam humanam usurpat *singulariter*, pro unā & solā Christi naturā humanā, quæ tām arctē cūm hypostasi & $\lambda\circ\gamma\circ\delta$ unita est, ut $\ddot{\alpha}\lambda\dot{a}\dot{g}\dot{e}\dot{e}\dot{n}\dot{t}\dot{o}\dot{s}$ nō $\ddot{\alpha}\lambda\dot{a}\dot{g}\dot{e}\dot{e}\dot{n}\dot{t}\dot{o}\dot{s}$ ei in æternum conjuncta maneat, adeoque nunquam absque illa $\ddot{\alpha}\lambda\dot{a}\dot{g}\dot{e}\dot{e}\dot{n}\dot{t}\dot{o}\dot{s}$, aut extra illam concipienda, aut supponenda sit.

§. 79. Sed ipse sui optimus Interpres erit. Ita verò Tom. I. Giss. Disp. III. posteriori n. 41. 42. 43. & 44. p. 67. seq. rem præsentem enucleavit: *Quæ sententia hactenus vera est, quatenus natura consideratur per se, in se, formaliter, ex suis principiis, & secundum suas proprietates;*

Et quatenus persona intelligitur composita ex duabus naturis. Falsa autem deprehenditur, quando natura humana consideratur, non ex natura sua, sed ex unione personali cum Λόγῳ, Et secundum illam. Hoc est, quando tribuitur nature humanae Christi aliquid, quod non promanat ex ipsa, vel ipsius naturalibus proprietatibus: sed quod ex beneficio unionis hypostatica illi donatur. Exempli gratia, quando caro Christi dicitur vivifica & adoranda. Nam in abstracto humana natura non vivificat: Quicquid enim in abstracto de humanitate dicitur, illud ex aequo omnibus & singulis hominibus convenire oportet propter eandem specie humanitatem omnibus individuis communem. Quoniam abstractum dicitur respectu sui concreti. Humanitas autem tanquam abstractum, est forma hominis, nempe concreti. Et de Deo, persona simplici, non potest affirmari, quod sit passus. Quoniam Deus est impassibilis. Atque hoc est, quod pii veteres tam accurate notare voluerunt. Caro, inquit, vivificat & adoranda est, non secundum suam naturam, (hoc est in abstracto) neque ut communis hominis caro (quae potius indiget vivificatione) ac ne quidem, ut viri sanctificati caro (qua Sanctificatio extra ipsum non porrigitur) sed ut caro ipsius filii Dei, (hoc est in concreto,) quatenus illa caro subsistit, non in sua propria humana hypostasi, sed ex virtute τη Λόγῳ, in ipso Filio Dei, qua est unanimis totius orthodoxe antiquitatis sententia, ut patet ex Anathematismo XI. Concilii Ephesini: Caro Domini est vivifica, propterea, quod propria facta est verbi, quod omnia vivificat. Sic Theodoretus Dialog. 2. Corpus Domini, inquit, vocamus divinum, vivificum & Dominicam. Ut breviter hoc argumentum concludamus: Quicquid in abstracto dicitur de natura humana, illud de ea dicitur, quam est natura humana. At dici non potest de humana natura, quam humana natura, quod sit vivifica

vifica & adoranda, ut per se & ex superioribus patet. Ergo de humana natura Christi non dicitur in abstracto, quod sit vivifica & adoranda.

§.80. Patet ex his, si natura humana sumitur *specie-*
liter, per se, in se, formaliter, ex suis principiis naturalibus, &
secundum proprietates suas naturales, & extra unionem, tunc
nō admittendas esse Prædicationes tali Abstracto con-
stantes, id quod etiam illi volunt, qui Abstractivas eas
sententias adhibuerunt, adeoq; negantibus hāc in par-
tē non obstant. Aliter autem dicendum est de naturā
humana singulariter, in unione, personaliter & ex unione
personalī, nec non secundum eandem unionem & communica-
tas proprietates divinas spectatā. Hoc enim modō acce-
pta realiter involvit hypostasin, adeoq; materialiter &
quoad rem natura est, ut ita loquamur, personata, sive
personalitate & λόγῳ ornata & insignita, æquipollentq;
homini Christo, aut Filio Mariæ Virginis, de quō pro-
priissimè prædicata suprà allegata dici posse, nemo ju-
re dubitabit. Uhde nec ita Affirmantes & negantes in-
ter se digladiantur, sed potius amicē conspirant.

§.81. Eluescit tertio, Enunciationes Abstractivas nō malo admodū consilio adhibitas esse ab iis, qui & naturarum distinctionē, & realem Idiomatiū Comunicatiōnem in doctrinā de Christo, contra antiquos & novos Adversarios, demonstrare & evincere voluerunt. Posito enim, humanam naturā esse omnisciā, omnipotētē & omnipræsentē, sequitur necessariō, & aliam esse naturam, quae communicavit ea axiomata humanæ natūræ, & quoniām communicavit, dari etiam Idiomatum Comunicationem, sine hāc enim natura humana non posset esse omniscia, &c. Ne igitur aut viderentur Comunicationē eam negare, aut Adversariis negandi

& decipiendi occasionē suggestere, bono animo Confessionem suam per voces Abstractivas; Concretivē tamen accipiendas, edere voluerunt. Atq; hōc modō cū negantib⁹ consentiunt. Negantes autem retia & insidias Antiquorū & recentium Eutychianorū prudenter metuentes & eas carentes, admittere Abstructivas locutiones renuerunt, quæ quanquam Concretivē & possent & deberent accipi, ab Adversariis tamen prout jacent, & formaliter expressæ sunt, sumuntur, & contra orthodoxam doctrinam in reprobum sensum pertrahuntur. Quo pacto eas nec acceperunt Affirmantes, neq; accipi voluerunt, sed potius mente, voce & calamo exploserunt.

§. 82.

EXEMPLUM X.

Αντίθεσις.

Aff. Satisfactio & Mediatio Christi incepit in Circumcisione.

Neg. Satisfactio & Mediatio Christi non incepit in Circumcisione.

Ενθεσις.

§. 83. Scripsérat B. Calovius Tom. VII. Syst. Theol. Art. IV. Cap. I. p. 426. Erat circumcisio Christi satisfactoria ac mediatoria, quia hic incepit Satisfactio & Mediatio Christi, Et. LIII, 5. c. XLIII, 24. 25. Hæc legentes alii, offensi sunt, æstimantes, Officium Christi Mediatorium & Satisfactorium cum ipsâ incarnatione ejus incepisse. Quām primum enim Christus statum Exinanitionis incepit, statim etiam incepta Ejus Mediatio & Satisfactio est. Gal. IV, 4. 5. Phil. II, 6. seqq. Certe quem finem habuit Cir-

Circumcisio, eundem quoque habuit Conceptio & Nativitas, adeoqve etiam Incarnatio, duarumqve naturarum unio & Idiomatum Communicatio, quæ singula ante Circumcisionem facta erant. Seqvitur proinde, Mediationem & Satisfactionem ante Circumcisionem à Christo inchoatam esse.

§. 84. Beatus autem Calovius, ad *sanguinis effusio-*
nem respiciens, sine qvâ nulla Mediatio satisfactoria
 datur, Ebr. IX, 22. Ibid. v. 7. 12. 13. 14. 18. 20. 21. non absqve
 ratione ejus initium in primâ hâc sanguinis J. C. effusione
 posuit. Non, qvod negaret satisfactionem Christi
 cum incarnatione inchoatam esse, sed ut innueret, a-
 ctum Satisfactionis præcipuum, h.e. sanguinis effusio-
 nem, in Circumcisione inceptum, in crucifixione au-
 tem finitum esse. Docent hanc ejus mentem Dicta
 Esaiæ ab eodem laudata, Es. LIII, 5. & c. XLIII, 24. 28. In
 iis enim, præcipue in primo, sanguinis effusio indi-
 catur. Atqve hoc modo si intelligitur thesis, non
 difficilis Conciliatio erit.

Σύνθεσις.

§. 85. Nulla enim discrepantia hic est (1)ratione *Fru-*
ctus, qvem satisfactio habet, qvia is omnino etiam ante
 Circumcisionem in V.T. datus est: nec (2)ratione *Actus*
in generè sumti, sed duntaxat ratione *actus specialis*, qvi
 per effusionem sanguinis fieri debebat. Ante Circum-
 cisionem verò nulla sanguinis effusio fuit. Et quod ita
 intelligi velit beatus Vir, patet ex pag. antec. p. 425. ubi
 ita scribit: *Finis Circumcisionis fuit (3) Meriti & Redem-*
ptionis Christi Certificatio. Nam cùm sui causá, & ob sui
regenerationem opus non habuerit Circumcisione, quia non
conceptus fuerat in peccato, Luc. I, 35. Dan. IX, 25. nostri causá
circumcidí voluit, partim, ut hanc quoq; partem justitia & vo-
lup-

tuntatis divine impleret, Ps. XL, 8. 9. Matth. III, 15. scđ legi, ad eandem vice nostri implendam, subjiceret, ac totius legis debitorum se constitueret, Gal. IV, 4. c. V, 3. quod ad meritum justitiae & salutis requirebatur, confer Ps. XL, 9. Ebr. X, 10. Rom. X, 4. c. IX, 3. c. V, 18. 19. Gal III, 12 partim, ut NB, effusione sanguinis in hac infantiâ factâ, futuram passionem & effusionem sanguinis, satisfactionis pro nobis prestande, ac διπλωματίωσεως nostri causâ necessariam, veluti NB. Arrbâ datâ confirmaret, certamq; redderet ejusdem NB, INITIUM quoddam hic faceret. Clârè satis ex singulis his rectè consideratis patet, B. Calovium non respexisse hic (4) ad satisfactionis primam ordinationem & constitutionem, hæc enim facta ab æterno est: nec (5) ad ejusdem plenariam executionem, quæ & inchoanda, & continuanda, & consummanda in incarnatione, nativitate, circumcisione, passione & morte Christi erat; sed (6) ad satisfactionis constitutæ & in tempore expedienda NB. Certificationem, de quâ manifestè loquitur. Et cum ea Certificatione aliter spestanta sit (a) ratione Dei; aliter (b) ratione Rei & sui; & aliter (c) ratione nostri; non egit h.l. de prioribus duob; modis; sed solum de ultimo. Ex sanguinis n. effusione actuali, quæ primum in Circumcisione fiebat, poterat universus mundus cognoscere, & certus redi, hunc esse Eum, qui sangvine suo pro nobis satisfacere deberet. Atque hoc modo incepit in Circumcisione Christi saluberrima ejus satisfactione & sanguinea Redemptio.


§. 86. Volebam hæc, & alia, quorum pars plurima residua est, prolixius exequi; sed cum præter spem Dissertatione hæc accreverit, cogor nunc abrumpere, & quæ restant, in aliud tempus differre, qvod Deus clementissime concedere velit. Servet Is nos in veritate & unitate; Ipse est Unitas, & verbum Eius est Veritas.

Ipsi sit Laus, Honor, & Gloria nunc & in sempiterna Secula. F I N I S.

05A 273

ULB Halle
004 209 818

3



5b

WOMY



T
 ENSUS
 OXORUM
 DOXUS,
 HRISTO,
 NE INAUGURALI,
 NTIA
 honores conseqvendi,
 DE
 DESCHERO,
 Prof. Publ. Confist.
 Witteb. Pastore,
 Generali,
 UCOREA,
 $M\ DC\ XCIV.$
 meridianis,
 MAJORI,
 us
 Dathe / Hamb. Sax.
 Phil. Adjuncto, nunc Eccle-
 Präposito designato.
 INI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.